



**Dialogus Mythologi**

cus Bartolomæi Colonienſis dulci  
bus iocis, iucundis ſalibus, con  
cinnisq; ſententiis refertus  
atq; diligenter ela  
boratus.

G. Konitz diſtichon.

Hinc fugiat rigidi qui laudat uerba Catonis  
Hic iocus & riſus, nil niſi læta patent.

Io. Knoder diſtichon.

Eloquium ſpirat lepida breuitate latinum  
Deliciisq; ſales aureus iſte liber.

Quorundam uocabulorum difficiliũ ex  
planationem in calce libelli inuenies.

Studioſis aduſcentulis Philippus  
Melanchthon S.D.

Venit in manus noſtras fabula hæc & lepida & elegã, quam cum obiter pellegiſſem, ne deeffet ſtudiis ueſtris optimi aduſcentes, ſtatim chalcographis cõmendavi, q̄ iuuetuti commodiſſima uideret. Nam dialogo quod ſermonum genus eſt familiaritate & puritate commendatum, rerũq; uarietate gratum, cõſcripta eſt, facietq; ad excolendam aduſcentiam ueſtram plurimum ſi ea rerum & uerborum gratia cætera quæq; ſtudia exornaueritis ut quibuſdam pigmentis uenueſta, iucundiora reddantur. Siquidem fabellis elegantioribus tam uitæ q̄ orationis regula præſcribitur Plutarcho autore in libro quem de audiendis poetis inſcripſit, alunt enim & fouent animos teneros, atq; illis iſtis ingenia ad ſeueriora ueluti anme comite ad mare duci ſolent. Fieri autem id putatur eo dicendi filo rectiſ, quo contextus eſt hic ſermo nitidus profecto & caſtigatus, ac ad comparandam eloquentiam quæ donum eſt deorum, apprime utiliſ. Ad quam adipiſcendam uti debetis certe totiſ animi conatibus eſt enitendum. Fertur enim a diis data ut eorum magnificentia ab hominibus intelligeretur, id quod Mercuriuſ ſermonis autor ſignificare uidetur, à maioribus deorum nunciuſ ueneratuſ q̄ βούλημα τῶν θεῶν γνώσκομεν ἐκ τῶν ἐνδοδμερίων ἡμῶν κατὰ τὸν λόγον ἐνδρπειῶν, ut apud Pharnutuſ legitur. Cæterum uoſ bonorum premium lauſ expectat. Valete.

Plantationem in calce libelli trinitatis

**BARTOLOMAEI COLONIENSIS EPISTOLA**

mythologica plerisque lepidis sententiis, & ad communem sermonum usum accommodatissimis referta, & miris & prope adeo ridiculis iocis cauillati onibus salibusque & facetiis resperfa ad Pancratium suum.

Pancratio suo Bartolomæus Coloniensis S.D.

Quod literis tuis quas ad me iam pridem dedisti haftenus non (ut debebam) respondi, nõ meæ negligentia, sed potius diuersis (quibus distineor) negociis ascribas uelim, quia tot & tantis distrahor occupationibus, ut uix reficiendi corpusculi mihi tempus opportunum superet, quod facili opera prospiciet quisquis uidebit me (præter labores quibus quotidie conficior) scholasticos tam ordinarios quæ succisuios ac subsecundarios præter perpetuos sudores quos per dius & pernox bonarum artium studiis impendo rem domesticam ingenti solitudine curare, præsertim hac tempestate, qua non modo rei frumentariae, uerum & quorumuis opsoniorum caritate ubi uis gentium (ni fallor) laboratur. Quod difficile (ut tute ipse experiris) factu est, quodque reuera arduum mihi existimatur. Hinc factum est ut literis tuis ad me per tabellarium tuum perlatis minime (ut dudum expetisti) respondi. Sed de his satis. Cæterum nepotem tuum Paulum (quem mihi tantopere commendas) in meam curam eatenus suscipiam, quatenus literis tuis per eum ad me perlatis mihi significasti, existimans me opportunam occasionem esse nactum, qua animum meum erga te gratum declarare possem, quaque tibi pro tuis immortalibus beneficiis in me collatis mutuam uicem aliquando rependere queam, quod ante hunc diem (quoniam occasio mihi denegata erat) efficere non potui, librum astronomicon Marci Manlii cum codice Hignii de syderibus (quos tanto pere diu iam cupidus expectasti) ad te usque perferendos tradere curassem, si usquam gentium eos apud bibliopolas aut magistros artis librariae uenum expositos offendissem. Codices uero tuos & præcipue Sidonium (quem anno ab hinc tertio a te commodato accepi) tibi remitto, qui haftenus apud me uitam somno similitam in cubiculo suo mediussidius exegit, cuius somnolentiam ego iniquo ferens animo crebrius sublata uoce exclamaui, ingeminans Sidoni euigila Sidoni

eu'gila. Iam enim sol medium hemispharii nostri conscendit axem. Iam enim in horam usq; meridianam pro pudor obdormisti, iam satis superq; somno indulxisti. Vbi his uocibus nihil profeci, cepti tandem tacitus mecū uolūtare, quidnam causæ fiet, q̄ hic homuncio totas noctes, hem quid noctes, immo totos dies cū ipsis noctibus absq; ulla temporis intercapedine (quod mirum est dictu & difficile creditu) perquiescit, ut mortuo consimilior q̄ sopito uideatur, forsitan pauperis semina audivis (ut aiunt) faucibus deglutiuit, aut soporiferum (nescio quē) potū magnis haustibus auariter in se ingurgitauit. Dum hæc identidem cogitabūdu replico, optimum tandem factu uisum est mihi cubiculum eius inscendere, & eum profundo somno excutere. Vbi ad hostiolum conclauis peruentum est, iterum sublata uoce ocepi inclamare Sidoni euigila & surge, & cum dicto fores cubiculi duobus digitis a pollice proximis leniter pulsaui, quib⁹ semel iterūq; & deinceps incassum pulsatis, mox manu in marsupium (quod leuo femori meo adhærebat) iniecta, clauem exprompsi, expromptam seræ hostioli immisi, qua clauis immittendæ foramen patebat quæ immissa ac circumacta in duas defiliit partes, quarum alteram manus & alteram sera detinuit. Quo uiso fremebundus steti & ualidis pugnis cubiculi fores adeo pulsaui, ut non modo hostiolum, uerum & tota cubiculi fabrica instar arbusculæ uentorum flatibus actæ contremet. Vbi his etiam pugnorum ictibus nihil profeci, aliquātulum retro abiens a foribus cubiculi discessi ut uehementiore insultu (more arietum qui cornibus obuersis concurrere gestiunt) fores obtrudendo efringerem, aut saltem eas ex cardinibus eiicerem. Quibus tandē meorum impulsu pedum & cardinibus suis exturbatis, dicto citius in cubiculum ingenti strepitu bacchabundus introrupi q̄ maxime occlamtans, Heus ubi es tu Sidoni, qui me pulsantem in cubiculum non intromiseris. Quid rerum agis furcifer? q̄ te dii deaq; omnes perdant. Cur mihi non loqueris? cur obmutescis? Elinguis ne es? qui graculo soles esse garrulior, & quauis rana loquacior. Et cum dicto utraq; manum in uestem stragulam, linteamq; grabbatuli conieci, hominem superne ad imos usq; pedes denudans, ut eū non Sidoniū sed gymnosophistam quempiam indum si coram stetisses putasses. Hem titubaui uerbo, non gymnosophistam, sed ligneolam hominis figuram, ob animi torporem & mentis inertiam credidisses. Eo igitur sic detecto

& nullum signum uitæ nedum somni præ se ferente, ocepi uehemen-  
 ter addubitare, mortuus esset an uiuus, an inter utrunq; constitutus, si  
 rerum natura pateretur neutrum ageret. Dum hæc identidem dubi-  
 tabundus reuoluerem, putau tandem optimo consilio factum iri, si  
 propius accedens uitam eius si quam haberet, solerti indagine uestiga-  
 rem, statimq; quantum solertissime potui uenulam dextri brachii in-  
 star medici pertrectaui, ut saltem uitam si qua foret, in ipsis uenarum  
 palpitationibus inuestigarem. Sed ubi uenulæ digitis meis contrecta-  
 tæ, nullum subsultum nullumq; uitæ latentis signum dedere. Fuerunt  
 enim quod est mirabile dictu per q̄ quietæ. Mox cōuerti manū meā  
 à uenis ad leuā pectoris eius papillam, sub qua ut medici tradunt cor-  
 culum hominis delitescit, ut calorem uitalem si uspiā in præcordiis  
 latitaret persentiscerem. Manu igitur mea ad pectus eius admota, ob-  
 tulit sese mihi calor quidam admodū languidus, qui ut mihi uisum  
 erat non fuit certus index uitæ, præsertim quum ne minimū quidem  
 anhelitus flatum potuerim deprehendere. Nouo igitur cōsilio inito  
 sumpsi molliculam quandam plumam quam in nases eius conieci,  
 ut periculum facerem, uiueret ipse nec ne, quæ ubi in nasum eius con-  
 iecta est, statim propellebatur in auras reciproci flatus respiratione.  
 Quod fuit mihi potissimum uitæ eius argumentum. Quo habito fa-  
 ctus omnis moræ q̄ ut credi possit impatientior, statimq; quantum  
 maxime potui in aures eius exclamaui, ingeminās Sidoni euigila Si-  
 doni euigila, ut non hominis uocem te audire sed potius tauri boatū  
 crederes. Ad hanc tamen uocem non magis expectatus est, quam ui-  
 tulus marinus altissimo somno oppressus ad lenem zephyri susurrū  
 euigilat, sed ubi his clamoribus nihil consecutus sum, iniecta tandem  
 in eum manu aures eius unguibus meis uellicare adortus sum, quib⁹  
 uellicatis ac pene peruulsis, mox ocepi hircinum eius barbitiū pro-  
 pe ad pubem usq; porrectum per interualla compilare. Et ne caput  
 eius quod reliquum erat ab iniuria immune esset, iniectis manibus  
 tam anæpendulos q̄ retropendulos crines cute tenus me Hercle euul-  
 si, ut te non caput sed cucurbitam aut glabellam quandam rapam ui-  
 dere putares, ipse tamen quasi statua insensibilis perdurauit. Eo igitur  
 sic insensibiliter perdurante, ocepi mecum tacitus reputare hūc ho-  
 minem esse lethargicum seu carminum auocamento soporatum, &  
 ad obliuionem presentium externatum, seu a Circe quæ Vlyffis soci-

os in pluriformes beluas carminibus mutauit obcantatum, & in somniculosum glirem transformatum. Sed inter cogitandum liquido cognoui, eum non obcantatum neque lethargicum, sed morbo socordia à vertice capitis ad imas usque plantas occupatum, Quod cum exploratum haberem, mox indignabundus oculos circumtuli, locos quosque cubiculi diligenter perscrutans, ut si quem baculum uspiam uiderem arriperem, quo huic mastigia socordiam de cerebro possent deturbare. Inter perscrutandum obtulit sese mihi pertica quaedam brachiali crassitudine, qua olim (ni fallor) ædium fores obfirmabantur, quam conspicatam sumens in speciem prelii manus obarmaui, & libratis ictibus uerbera uerberibus accumulans magnos agones instar palæstricæ desudauit, ferire tantisper eum decreui, donec eum è somno immo ex somnio & ut rectius dicam ex morte resuscitem, existimans fustuariū meum esse caduceum Mercurii, quo ipse mortuos ad uitam pristinam reuocare solet. Hic ubi fuste rem agi tandem persenserat, & se libratis fustuarii ictibus haud secus quam ferrum in incudemolliri cognouerat, quam maxima potuit uoce exclamauit, ingeminans Arma fer hospes, arma fer hospes ac suppecias, mihi accurre. Exclamati inquam En arma allata (fustuariū offerens) quasi cecutiētibus immo somnolentis oculis non uideas, bono sis animo ac tranquillo ego me hercle faciam ut medullitus persentias S I D O. Quis es tu scelereste inquit, qui me miserum plagis diuerberasti, ad usque uitæ meæ periculum. B A R. Quærenti inquam Ego sum hospes tuus o Sidoni, enitens te hoc caduceo ex profundo somno immo ex morte ad pristinam uitam reuocare. S I D O. At te diespiter inquit diique omnes perdant. Non hospes meus sed hostis es, qui me nodoso hoc fuste animam ex penetralibus uiscerum euomare cogis. Quum tamen non modo ullo facto sed ne tantillo quidem dicto meo læsus sis, ut uidereris te merito ultum ire, esset satis superque acerbū toleratu, si me depalmases, aut pugno malas meas percussisses, aut flagris scapulas meas cecidisses, nunc stas fusticulo (quo latera mea decolasti) instructus, quasi esses prelium capessurus. O magne Apollo confige hunc nequissimū sagittis tuis, quibus Pythōnis uiscera traiecisti, ut scelera suorum poenas uel uulnere uel ueneno luat, uel potius cruci (ut inter terram atque cælum sit pensilis) suffigatur, pedibus supinatis ac sursum elatis, capite deorsum, in terram deuergente, manibus post terga reuinctis, oculi

lis fascia obuelatis, & duobus canibus pastoriciis hinc & hinc per pedes posteriores pensilibus & in rabiem efferatis, ut uiuēs canes & mortuus coruos carne sua exaturet, ut sic corollarium sceleribus suis condignum sibi comparet, qui dignus hercle dignus esset ut binis quadrigis reuinctus in diuersa nitētibus dilaceraretur. **BAR.** Videtis quam mox uapulare uis, nisi actutum obticescas furcifer, nosti enim ut opinor neminē posse crabrones impune irritare. Nam si hasce diras deuotiones in caput meum impre cari non desineres, ego hodie faciam ut medius fidius omnium mortalium longe miserrimus sies. Et cum dicto clauam libraui similis percussuro, minitans ei plagam sed non incutiens. Quod cum uidit, dicto citius puluillum quo ceruicē suffulciebat arripiens ictui uelat umbonem opposuit, exclamādo quantū maxime potuit ingeminans. **O magne Apollo adiuua me. O magne Apollo adiuua me.** Iam enim mortem oppetiam, ni solito mihi adiuuamento succurreris, eo sic uociferāte, ego totus in cachinnum soluebar, ut (uiribus meis nimio risu labefactis) ipsa claua suo pte pondere degrauata manibus meis esset elapsa. Quam tamen tandem desub pedibus meis risu parumper effrenato, in manum resumpsi sic inquit ens. **O Sidoni cur a somno deorum placidissimo ad Apollinem defecisti, nunquid sub ductu & auspicio somni hucusq; militasti? respōde obsecro mi Sidoni, fatius esset te (mihi crede) a somno ad Herculem defecisse, qui te hoc fusticulo meo prima certaminum rudimēta erudiuit, & ut opinor, quod tute ipse fateberis, apprime edocuit. **SIDO.** Hercules te pessimum inquit obtūdat claua sua trinodi, antea me diris uerberibus contudisti. Nunc uero multiformibus contra me uelitaris ridiculis, dii deaq; omnes superi & inferi & medioximi te pessimum pessime perdāt, & a superis auris per decliua uoraginum terrarū in confluentem coeyti & phlegetontis detrudant, ut ibi in lachrymarum madore & ignium uapore tuorum scelerum pēnas in aeternum luas. Tum ego. **Papæ deus inquam quid ex te audio hoccine premiū mihi & hospiti tuo & medico rependis? Sidoni? qui te hoc perpetuū triennium quasi somniculosum glirem in ædibus meis saginaui, & in super salubri medela curauī, dignus hercle dignus ob animi tui ingratitudinem extrema sustinere, & si quid extremo est extremius, dii boni quid hic monstri alit, quum dicto opus est pythagorissat, & quum tacito opus est epicurissat, & mirum in modum blaterat, ut incertum****

fit an taciturnitate sit inuisior, an loquacitate molestior. Tum illé.  
Proh Iupiter hospitalis quid dicam. Quis unquam hominum talem  
hospitem habuit, qui suis fustibus hospites ne absq; opertorio in lectu  
lo cubent cooperit? qui etiam licet æquo animo ferat tuniculam ho  
spitis sui aduentantis esse unicolorem, nullo tamé pacto ferre potest  
cuticulam eius esse unicolorem, sed illam molitur diris uerberibus  
tam uersicolorem reddere, q̄ sunt peristromata picta aut tapeta belu  
ata. Mallem sub axe hyperboreo aut libyco agere, q̄ in adibus huius  
scemodi hospitis immorari, satius ducerem (ita me dii bene amét)  
panem cibariū immo hercule furfures incretos ac sordidos multoq;  
lapide salebrosos manducare. Et aquam palustrem concava manu  
potitare, q̄ mellita huiusmodi hospitis edulia absumere, & uinū hip  
pocraticum aut quodlibet aliud nectar gemmatis pateris ebibere.  
Nunquid satius mihi fuisset in agri cespite, aut in fore silice q̄ in hoc  
grabbatulo cubitasse? in quo haud secus q̄ arcadicum pecus fuste de  
dolatus sum, ab hoc præfertim homine (si fas est eum hominem dice  
re) cuius feritati cedunt ara Busiridis, stabulum Diomedis, & mensa  
Licaonis. Cuius ædes sunt taurus Phalaridis, immo hercle uestibu  
lum regionis acheronticæ, in quibus rectius Eumenides degerent q̄  
homines. Edepol certe scio q̄ Vulcanus, sol, luna, dies penosiores nul  
las illuxere alteras. Ehem & quod pene præterieram hic crocodilus  
nō modo se hospitem, uerum & medicum agere fabulatur. Quid po  
test dii boni esse absurdus auditu, & difficilior creditu, quam illum  
medicum agere, qui costarum crates dissipat, laterum compages di  
scutit, & lumborum robora debilitat, hic meo iudicio nō Hippocra  
tem sed carnificem agit, non medicinam sed carnificinam exercet,  
Cui ego. Dic cucule dic, solent ne medici (cum facto opus fiet) puru  
lenta tubera scalpellis excidere? aut ignitis ferramentis perurere, aut  
(quod horridum est dictu, horridius uisu) hominū membra serulis  
resecare? SIDO. Quorsum hæc inquit hominū nequissime? BAR.  
Ut tu pecus inquam scias medicum nō semper ampullam oleariam  
ægris membris adhibere, sed quandoq; (cum facto opus fiet) ferram  
scalprum & laminam. Tum ille. Nihil horum quæ dixeris intelligo,  
rem apertius (si lubet) effare. Nam isti quidem orationi ædipo opus  
est coniectore, qui sphyngos ænigmatum interpretis fuit. Tum ego.  
Non sapis inquam rem quæ meridiana luce est clarior, nō enim pro

pono tibi Apollinis oracula, ut Sibylla interprete tibi opus fiet. Neq[ue]  
 Thebanæ sphingos ænigmata, ut œdipodos opera indigeas. Verum  
 enimvero ut quatenus possim quod sentio luculente breuiterq[ue] plani  
 loquus absoluiam. Morbus quo iandudum laborabas, nõ oleo sed ba  
 culo erat expellendus, hanc ob rem decreui lumbos tuos non ungen  
 to sed fusticulo perfricare, ut sanitate tãdem recuperata lætam uitã  
 degas & idoneum corollarium mihi depedas. SIDO. Ain tu inquit  
 furcifer me morbo laborasse? B A R. Aio inquã & merito, quia hoc  
 uero nihil est uerius, nõ Apollinis oraculũ, nec Sibyllæ foliũ. SIDO,  
 Proh Iuppiter inquit quis unquam fando audiuit tam impudens mē  
 dacium? quod plus a uero distat quã coruus a cygno. Æsculapius em̃  
 me quinquagenos annos & amplius saluberrima ualitudine profecu  
 tus est, & a quouis morbo penitus immunẽ præseruauit, ut anxie mi  
 hi metuere uideretur, & utpote pignori suo longe prouisum cupere.  
 Nam egomet memet putassem esse filiũ Æsculapii, & nepotẽ Apol  
 linis, nisi mater mea (quæ hisce in rebus est peritior) aliud mihi per  
 suasisset. Cui ego, profecto ut loquor res ita est. Non em̃ habeo ullam  
 occasiõẽ ut apud te falsa fabuler, haud equidem sum is homo qui  
 soleat mēdacia garrire, ut tute ipse (si uelis) nosti. Res ipsa deniq[ue] fidẽ  
 sermoni meo dabit, præcipue cum tibi testes fide dignissimos produ  
 xero, quorũ astipulationibus summam fidem (ni fallor) habebis, etiã  
 si nullum iusiurandum uerbis interposuerint. Tum ille. Id tam facere  
 potes q̃ imbrem in cribro pollinario gestare, ubi nam gentium huius  
 scemodi testes dic quæso inuenies? quorum simplici assertioni tantã  
 habeam fidem. B A R. In hisce inquam meis ædibus cum uoluerõ in  
 ueniam, haud factõ opus est maria traicere, aut longinquas terras pe  
 tere. O mi Pancrati ut iam nunc noscas, qua facie sunt illi serui mei  
 quos testes aduersum Sidonium tuum produxerim, ego tibi unum  
 quẽq[ue] illorum per ordinem graphice ostēdam. Dromõ meus est sta  
 tura pene iusta, decẽti capite, capillo leniter reflexo & subflauo, super  
 ciliis pene coniunctis, uigilantibus oculis, non magnis naribus neq[ue]  
 paruis, sed inter utraq[ue] mediis, naso recto, colore candido, dentibus  
 exiguis & firmis, ceruice erecta, lato pectore, humeris musculosis, lon  
 gioribus brachiis, ualentibus digitis, uētre modico, exilibus cruribus  
 suris & pedibus expeditis, nõ superflua carne distentis sed neruorum  
 duritia collectis. Huic homini, si quid recte curatum uelis, mãdes, mo

B

ri sese misere mallet, q̄ nō perfectum reddat, quod perficere promissit. Dauo uero (ut scias) est enormis statura, sesquipedem quidem est q̄ Dromo lōgior, caput paruum & portentosum, & quum semper, tum in quantulo cunq; actu uel maxime tremulum, capillus uersipellis rarus & circa uerticem nullus, sed pone occipitium submissior, ut ceruicem eius iam obtegat, supercilia hirsuta, hebetiores oculi subducti, recessu cōcauo introrsum recepti, aures flaccidæ, nasus & a medio eminetior, & ab imo deductior, nares grauedine oclusæ, color subniger malæ oblongæ, os rubicundum & admodum magnum labia tumida & saliuosa, dentes scabri & aprorum instar prominētes, plestra linguæ titubantia, risus indecens iam turpior spumante rictu, mentum multibarbū, habet faciem aceti acorem & sinapis acrimoniam præseferentem, ceruicem frigidam & obstipam, angustum pectus & fetis oblitum uentrem, pene ad genua usq; proiectū, dorsum auctum gibbere. Est etiam humeris, infirmis breuioribus brachiis, manib⁹ tremulis, cruribus introrsum intortis, suris crassis & pedibus admodum magnis, & (ut paucis expediam uerbis) tam assimilis facie Charoni est, ut plariq; eum procreatum ex eo crederent. Tutemet nunc fac cōiecturam, cæterum quid id sit hominis, cui Pamphagus cognomē fiet. Parmenonem uero qui subsequitur scias esse breuiculum, recaluū, fuligine & carbonaria aspergine obductum, bucculentū, uentrosū, aliquantum incuruū, oculis prægrandibus, malis habitioribus & pendulis, cruribus in exteriorem partem obtortis, dextro pede non perinde ualet, ut sæpe etiam hybernis diebus inde claudicat. Nam Parmeno dum puerum agebat, suffuratus est aliquando portuiculam quandam carnis suillæ in macello de mensa Ianonia. Quod cum Ianii limis oculis præter opinionem Parmenonis notarunt. Parmenonem deprehenderūt, deprehensum palmis cum exporrectis, tum maxime compressis pulsauerunt, pulsatum tandem crudo tergori recenter coctis mastati bouis direpto imponunt, impositum in sublime quantum maxime poterant iactarunt, & iactatum subducto tergore in terram deorsum recidere siuerūt, quo ex casu dextrum talum suffregit. Hic frater germanus Megadipso est, quadriduum nō interest atatis uter maior fiet, uerum ingenium fraudulentum plus quadraginta annis maius est Parmenoni q̄ alteri. Nam ipse est uersutior, q̄ rota figuralis, ut cunq; est uentus ex in uelum uertit. Descriptionē equidem her

cle Megadipsi potius uolo silētio praterire, q̄ sermone explicare. Ete-  
 nim nimis longo sermone utendū mihi esset, & si deberem hoc mon-  
 strum graphice describere, q̄ scilicet est ei prodigiosa statura, caput  
 prægrande, capillus horrore implexus atq; impeditus, stupæ tomēto  
 assimilis & inæqualiter hirtus & globosus & congestus & prorsus ine-  
 nodabilis diutina incuria, non modo non comendi, sed saltem expe-  
 diendi & discriminandi, supercilia setosa, oculi rubicundi & promi-  
 nentes, nasus & in medio diductior & in imo eminentior, nares ad mo-  
 dum huiusce, labia uerrucosa, os deforme, dentes lupini, malæ (instar  
 proserpentis bestia) turgentes, mentum longum & hircino barbitio  
 obsitū, ceruix obesa, color totius corporis (præter faciem quæ rubi-  
 cunda est plærung; ex potulētia) est obsoletus, quodq; idem est angu-  
 stus ab humeris & pectore cæteris quoq; mēbris usq; ad imos pedes  
 inæqualis & incongruus, hæc enim omnia longum esset enarrare, ue-  
 rum ut iam tandem (unde digressus sum) regrediar, scias Sidonium  
 dixisse illosce testes, quos te habere prædicas uidere gestio. Cui ego,  
 Quando illosce meos testes uidere gestis, ego unumquenq; illorum  
 proprio nomine ciens huc uocabo, heus heus Dromo, Daue, Parme-  
 no & Megadipse ubi estis? accurrite huc, properate. Introrūpēte itaq;  
 uno & altero ac deinde pluribus hunc sermonem exorsus sum. Quid  
 sentis de his uiris dic Sidoni? nunquid eorum simplici assertioni sum-  
 mam habes fidem? an iusiurandum superexigeres? certe si ulla rati-  
 onem honestatis quātamlibet paruam in te haberes, eorum simplici  
 assertioni propemodum fidem haberes. Sunt enim (ni mentiar) uiri  
 omnium qui unquam fuere aut sunt aut etiam futuri erunt ueracissi-  
 mi. Interrogato igitur eos (ut lubet) super morbo tuo, & quicquid re-  
 sponderint oraculum Apollinis putato. Ad hoc uerbū cum Sidoni-  
 us tum maxime seruorum grex risu dirumpebatur maximo, ut præ ri-  
 su uix pedibus consistere quiuissent, nunquam edepol ullo die (ni fal-  
 lor) riserūt adæque, neq; hoc quod reliquū est, risuros opinor, cachin-  
 no tandem parumper sedato, ocepit Sidonius Dauum adoriri hisce  
 uerbis dicēs, O bone uir, uel si i d maui optime (si mentiar ignoscāt  
 id mihi dii) ain me morbo laborasse? **D A V V S.** Aio, immo & asse-  
 ro. **S I D O,** Sed quid ego istuc credam, uidistin? an tu audita renūci-  
 as? **D A.** Haud egomet uidi, sed fando audiui. **S I.** Pluris est oculatus  
 testis unus q̄ auriti decem, qui audiunt, audita dicunt, qui uident pla-

ne sciunt, malo oculis, quam uerbis habere fidem. **DA.** Quā ob rem istuc dicis? **SIDO.** quia res certius uisu q̄ auditu cognoscuntur. **DA.** ha mi Sidoni nō recte iudicas, bona uenia hoc audeo negare, ego res certius auditu q̄ uisu comprehēdo. **SIDO.** Nunc profecto emētiris, **DAVVS,** haud mentior, nam mendacium odi æque atq; angues, **SIDO.** Vera quæ dicis inquit Daue præ cæteris quæ ementiris pars ea non est millesima. **DAVVS.** At ego te in quoduis pignus uoco, si in uno uspiam uerbo mendacium admisi, **SIDO.** At tu si non mētiris, es oculis hebetioribus. **DAVVS.** Si istuc tibi subolet rheumatismo nō laboras. **SIDO.** Eho iam satis uerborum est mi Daue, impone uerbis modum. **DA.** Nō ego ad ipsum modum, sed retro paululū & citra modum, immo ut uerius dicam longe ultra modum soleo transcurrere. **SIDO.** Daue non opus est uerbis complusculis, iam pridem constat testimonium tuum nullius esse pōderis, ne dixerim momenti. **DAVVS.** Quid tu ais glis somniculose, appendisti in libri pendis instar testimonium meum in lancibus libræ, ut uideris quanti pōderis fiet? **SIDO.** Appēdi & inuentum est inane & opido friuolum, **DAVVS.** Iam nunc dicis, quod a nullo scriptum, nec unquam fando auditum & omnium quæ mōstra dicunt ut mōstrosissimum est. Quis unquam fando audiuit hominū testimonia in statera trutinari? credo edepol te, qui talia garris delirare, & melancholica uertigine laborare, aut appotum probe. **SIDO.** Abi in malam crucem uerbero nequissime, putas me esse similem tui? quo nemo est helleboro indigentior, qui non solum obolo, aut dragma, cyatho ue, aut acetabulo, sed ne urna quidem hellebori ab insania purgari possis, immo nec medicinæ autor Æsculapius te omnino ab insania liberaret. **DA.** Ioco an serio illadicas nescio, sed si scirem id a te ex animo dici, ipse iā Hercle oceptarē insanire primulū, ut me apud te nō Dauū sed Herculem furentem agere præsentisceres. **SIDO.** Quid ais heluo quid ais? uenisti in huc causa testimonii perhibendi an pugillandi? **DA.** Abi in orcum putre cadauer cum tua istac quæstione. Non enim ueni huc uerbis contendere, sed pugnis immo fustibus, & ut uerius dicā ardentibus ticionibus è foculo correptis. Et cum dicto linguam exertauit, & Sidoniū derisit. Quod ego quū uidi, fremebundus oculos truces in Dauum inuertēs dixi. Dii te perimant laruale simulachrum, quū semper negocia mea inturbas, id ego cum alias, tum etiā nunc in præ

sentiarum usu experior, nōdum hęc finieram cum ipse cœperat a cō  
 seruis suis propelli efflari & exhibilari, sed Dromo cæteris commotior  
 ne dixerim furibundior (uelut atra bile percitus) metellam loci arre  
 ptam, in caput Dauī infregit sic inquit. Nostin furcifer nequaquā  
 eum recte dicere? qui quicquid in buccam uenit dicit, huc testandi  
 causa uenisse te dixisses, non contedendi, sed tu nihil sapis, nihil sen  
 tis, tanti es, quāti est fungus putidus, immo Hercle mortuus pluris pre  
 cii est, q̄ tu es. Et cum dicto eum urina perlutum extra limen cubicu  
 li eiecit, quo eiecto, in ipso eodem momēto hostium cubiculi de sub  
 pedibus sublatum in cardines suos cōiiciens, ad claustra pessulum re  
 duxit, & fores super se occlusit, ne Dauus introrūperet, & locum spur  
 cissimo locii madore oppleret, nam quocūq; transibat, uniuersus aer  
 fetore urinæ instar latrinæ olebat. Interim Dauus ad focum procur  
 rit, ardentemq; ticionem ex igne correptum gerens, ad cubiculū pro  
 perauit, sic uoce sublata occlamitans. O Dromo Dromo si magnani  
 mum heroa præ te fers, ueni foras, & prodi in conspectum meum, &  
 noli intra parietes cubiculi latitare, aut (quod magis credo) sub lectū  
 te cōdere, ego me Hercle hodie efficiam, ut per totum orbem nō in  
 uenias miseræ tuæ comparem, immo si nunc quadrigas Iouis inscen  
 das, atq; hinc suffugias, ita uix poteris effugere infortuniū, quod tibi  
 destinatū est, nisi metus heri mei obstitisset. Ego iandudum (hostio ē  
 cardinibus reiecto) more fulminis cubiculū introrupissem, & uerbe  
 reum caput tuum, mirum in modum hoc torre ambusto (quem ma  
 nibus gesto) obtudissem, atq; id eo gratius fecissem, quo tu uiderere  
 spectatoribus nostris Iernæa hydra aquam palustrem eiectans, & ego  
 Hercules te flammis ultricibus exurens. Eo autem hunc in modū bla  
 terante. Dromo sermonē eius his uerbis interrūpens ait, Dic hominū  
 stultissime qua confidētia audes me ad pugnādū laceffere? qui te pos  
 sem oris mei spiritu (ut uentus folia, aut peniculum tectorium) diffla  
 re. **D A V V S.** Quid tu ais furcifer? satin es sanus qui putas me glumā  
 grani frumentarii, aut pappū cardui, quem leuis uentorum flatus dif  
 flat ultro citroq; per auras, cum tamen sim corpulentior q̄ bos sagi  
 natus, & animosior q̄ leo iubatus. Quo fit etiam, ut ego te tantū time  
 am, quantum elephas culicem. Ehem quid modo uenit mihi in men  
 tem? nunquid tu culcx nudiū tertius identidem cōminabariste con  
 cisurum me machara tua minutatim? ut agmen formicarum possit

me frustulatum in cauernulas suas introferre, cur modo non prope-  
ras? cur prelium detractas? cur ex istoc cubiculo tanquam ex formici  
no antro prodire nō audes? formicula dic? **D R O.** Tace tace inquit  
stultiloque & tutamenta sermonis circumspecte, parce inquit in uicto-  
rem tuum ne quam tibi lingua intemperanti in capitis tui pernitiē  
noxam contrahas. Turpe quidem est calamitatibus affectos superbe  
cum uictoribus agere. Itemq; maximum quidem stulticiā specimen  
est friuola uerba pro duris uerberibus ut tu facis reddere. **D A.** Desine  
inquit Dromo leporum uexillifer, ac damularū antesignan⁹ in istac  
tua uictoriola insolenter gloriari, quādo sapicule uictor a uicto uice  
uersa funditur, uincitur, & pedibus proteritur. Tute ipse ni fallor nosti  
q̄ gestiat fortuna, quā uictoriā ceterorumq; id genus bonorum fa-  
bulatur largitrix, suas lubricas ambages & instabiles incursiones, & re-  
ciprocas uicissitudines in hominibus diu noctuq; exercere. Vix hęc  
finierat, cum ego minabundus inquam uidesis Daue q̄ mox fustibus  
delumbari uis, nisi actutum hinc abis, quando nihil apud hasce cubi-  
culi fores negotii sit tibi. Propera igitur quātum celerrime potes te  
istac ueste uuida exuere & qualibet alia q̄ fors dederit induere, nec  
nō & caput manusq; & faciē aqua abluere, quibus ablutis in culinam  
te intro capeesses, ut patinas eluas, cacabos, athenaq; defrices, aquamue  
in lebetes, qui ad ignem appositi sunt ingeras, aut salem in ollam ole-  
rum indas. Et si horum nihil factū opus fiet, tūc cochlearium forami-  
nosum in manum accipito, & oua elixanda in cacabo despumato,  
Quod si persequi neglexeris, ego iubebo te nudum astringi ad colu-  
mnam fortiter, & uirgis tantisper lacerari, donec quod imperauerim  
præsentiſcas, & lubenter persequi pergas. Et cū dicto conuerti me ad  
Sidonium sic inquires, Iam tandem lubet mihi o Sidoni iocis semo-  
tis serio tecum agere, si uis faciam ut oculis tuis cernas & manib⁹ tan-  
gas te morbo uehementē laborasse. **S I D O.** Volo, sed tam efficies q̄  
imaginem Diogenis cū suo palliastro, barba, scipione, pera panaria,  
& crepidis in adamante stilo exculpes. Cui ego. An istuc efficere pos-  
sim haud scio, id certe scio me facere posse, ut palpes & tangas te mor-  
bo etiam grauissimo laborasse. Quāro igitur ex te cū illum diceres  
morbo laborasse, cui barba insensibiliter expilaretur, aures peruelle-  
rentur, frons & occipitium decaluantur, ut te non hominis caput,  
sed rapæ bulbū uidere putares **S I D O.** Vtiq; dicerem inquit, Ergo

tu grauissimo inquā morbo laborasti, cui<sup>9</sup> barbitiū per interualla  
 insensibiliter euulsū est, aures peruulsæ, frons & occipitium compi  
 lata & tam glabra hem, q̄ hæc est manus. S I D O. uah apage te inquit  
 a me, ineptias mihi narras, & nugas meras, nullo enim pacto uerbis tu  
 is habeo fidem. B A R. Admoue dextram capiti inquā tuo, & inue  
 nies genas per interualla depiles, aures permulsas, & totū caput expi  
 latum. Quam primum manu capiti admota caluitium deprehendit,  
 in hæc uerba prorumpens, q̄ maxime potuit exclamauit, o infaustum  
 diem, o calamitosum diem atro lapillo signandū, quibus & quantis  
 exposuisti me ludibriis, hodie mihi caput tonsorio cultro admutila  
 tum est, & usq; ad uiuam cutem tonsatum probe, hodie mihi barbiti  
 ūm per interualla forpiculis defectum est, hodie mihi costarum cra  
 tis uerberibus pene dissipata est, & (ut paucis expediam uerbis) hodie  
 mihi totum corpus adeo fustibus est contusum, ut mihi de uita (nisi  
 dii succurrerint) prorsus desperandū sit. Cui ego. Desiste inquā inepta  
 & opido friuola commemorare. Non enim culter tonsorius caput  
 tuum rasitauit, sed manus mea funditus expilauit, & cum dicto colle  
 gi pronus cincinnos eius de sub pedibus meis, quos dudū euulsos per  
 cubiculi pauimentū disperferant, collectos oculis suis obtuli dicens.  
 Viden imas stirpes horum crinium? quæ tibi argumēto sient, eos nō  
 nouacula recisos, sed manibus radicitus, te nescio, obstirpatos, quod  
 unum potest satis superq; probare, te morbo etiam grauissimo labo  
 rasse, ubi hæc finieram. Sidonius papa deus inquit, quid dicam? cum  
 tot & tantis astruor argumentis morbo laborasse, & tū ita me Apol  
 lo amet nullius morbi mihi conscius sum. Adde q̄ habitudo corpo  
 ris non est attenuata, non succus exorptus, nec color obliterated, nec  
 uigor nisi uerberibus debilitatus. Verum enim uero, ut ista sese habēt,  
 si qua fides impertienda est, debuisses tu potius morbum meum her  
 barum succis, q̄ fustibus pepulisse. Sed quod sciscitari pene præterie  
 rā, quo modo, factō ue deprehendisti me morbo laborasse? Cui ego  
 Si uis auribus ut aiunt arrectis omnem rem auscultare, nec me inter  
 uertere, sed sinere me commodæ orationi finem facere, ego singula  
 tibi explicabo q̄ breuissime potuero. S I D O. Hem inquit istud uolo  
 & desydero dic amabo dic, ego te non interpellā, neq; ex ore tuo ora  
 tionem tibi eripiam. Tum ego sic loqui exorsus sum. Herus tuus cam  
 alias, tum præcipue nudius tertius unas dedit ad me literas, ut te q̄ pri  
 mum ad eū remitterem, & iure postliminii gaudere sinerē, Quod ne

diutius facere differem, statui te hodie hinc abeundem, & ad herum  
tuum remigrandum, Quo factum est ut hodie sub tempus antelucanum  
nominatim te ciens frequenter in clamaui Sidoni euigila & surge,  
quod cum semel & iterum ac deinceps fecissem, & mihi in clama  
ti prorsus nihil respondisses, decreui cubiculum tuum inscendere, &  
te a somno experrectum reddere. Vbi ad limen cubiculi peruentum  
est, quid tunc egerim longum esset enarrare, quod scilicet hostium cubicu  
li cardinibus eiecerim, quod quod barbitium frontem & occipitium tibi  
expilauerim, adde quod aures tuas peruulserim, quod denique morbum tuum  
copertum ex mediis usque ossibus fuste propulsauerim, haec enim omnia  
malo silentio praeterire quam sermone explicare, quia iam fieri dictis meis  
compedium uolo, haec ego. Tum Sidonius, Quod est huic morbo no  
men. B A R. Secordia inquam? S I D O. Cur hunc morbum maluisti  
mihi fustibus quam herbis propulsare? B A R. quia fustibus propelli inquam  
huic morbo est peculiare, S I D O. Mostrosa est prorsus natura huius  
morbi, sed scientia, quae fustibus huiusmodi, quam memoras, mor  
bum propellit, longe est monstrosior. Tum ego. Hoc quod dicis inquam  
prope modum est uerum. S I D O. Quoniam argumento nosti hunc  
morbum perticis propelli? dic quaeso. Tum ego, Dicam quando ex  
me quaeris. Ego dum puerum agebam, hoc morbo mirum in modum  
laboraui, sed paedagogus meus ferula nates meas obuerberans, hunc  
morbum facili opera propulsauit. S I D O. Cur igitur inquit maluisti  
me claua quam ferula curare? B A R. Quia memoriae inquam proditum  
est ab Asclepiade, qui inter praecipuos medicorum (si unum Hippocra  
tem excipias) ceteris princeps, hominem gradem natu non ferulis, sed  
fusticulis tanquam praesentaneo remedio a morbo secordiae liberari.  
Quod ego solertissime animaduertens, statui te iuxta Asclepiadis sen  
tentiam ab hoc morbo clauicula potius quam ferula liberare, & pristinae  
salubritati restituere, Sed pro Iuppiter quale gratiam mihi pro isto  
beneficio habuisti, immo retulisti, tute ipse nosti. Si apud Persas dege  
res, haec tua ingratitudo exquisitis ulcisceretur suppliciis, Si igitur ho  
mines ipsam ingratitudinem tam aegre ferunt, quam aegre latenti sint eam dii,  
qui omnia iustis respiciunt oculis, tecum animo fac cogites. Nondum  
haec finieram, cum Sidonius palliolo super nudam carnem circuncic  
cto, uix semi amictus e lecto sese quoquo modo potuit corripuit, & an  
te pedes meos procidens, ueniam & obliuionem praeteritorum omnium

Iachrymis obortis manibusq; in preces porrectis expostulavit dicens  
 se poenitere, q; tam diras deuotiones in caput meum imprecatus fue-  
 rit, & cum dicto dexteram meam prehendit, prehensam ori suo admo-  
 uit, admotam osculabundus tanquam salutigerulam suam demulfit  
 Et ne claua qua fortiter cotusus erat esset gratitudinis suae exors, ipse  
 eam q; plurimis osculis impressis honorauit, in super hoc tetrastichon  
 in laudem eius quoniam musarum antistes erat occinit, sic inceptas  
 Dux herebi Pluton stygiis secordiam ab antris

Misit, ut humanum deuoret illa genus  
 Iuppiter hanc superis clauam demisit ab oris

Quae pestem stygios trumat ad adusq; lacus. Hae ille. Tum ego. Qm  
 te inquam consydero esse gratum non modo erga me, uerum etiam  
 erga clauiculam, Iubens condono tibi ex animo omnem quam mihi  
 intulisti iniuriam, & toto abhinc tempore eris meus amicus, & cu di-  
 cto apprehendi manum eius subleuans eum, ac in pedes suos statuens  
 Et in ipso momento iussi Dromonem ire in tonstrinam allatum au-  
 lam oleariam, pyxides ungentarias, & scissiles panniculos, quibus ad-  
 me per Dromonem allatis, ego medici ualnerarii personam sustinens,  
 lumbos ac latera Sidonii, palliolo tamen eius ante exuto, oleariis fo-  
 mentis demulsi, & cataplasmatibus circūuolui, & pannis fasciisq; col-  
 ligauit, ut si coram stetisses, non me Bartholomaeum sed Hippocratē  
 putasses. His igitur peractis iussi Dromonem cadum olearium cu py-  
 xidibus ungentariis in tonstrinam reportare, & cum primum repor-  
 tauerit iterum ad me redire, ut si qua in re opera eius indigerem, pra-  
 esto esset. Deinde iussi Parmenonem & Megadipsum induere Sidoni-  
 um uestibus suis, sed prius q; eu uestibus suis rite induissent rediit Dro-  
 mo, que iussi munus induitionis persequi & absoluere. Parmenone ue-  
 ro & Megadipsum alia munera obire, illum scilicet ut Sidonio sorbi-  
 ciunculam coqueret, & oua gallinacea testis suis exuta cu butyro in  
 sartagine frigeret, aut ea in calēti cinere leniter per teporis interualla  
 uersando percoqueret, nec non & pulmentū ex piscibus exotico iure  
 prapararet, & illam partem sturionis quam pridiano uespere in foro  
 piscario, a cetariis nostris trinis stateribus coemerat assaret, iteq; fer-  
 culum carnibus minutatim concisis suauis sapore percoqueret, & ca-  
 pum altilem illaridatum ueribusq; affixum reciproca uertigine ad  
 ignem diutius uersaret, in omnem rei euentum, ut si quis ex familiari

C

bus meis ad ædes meas prandendi causa diuerterit, habeã quod ante illum in mensa ponam. Hunc uero ut Sidonio cantharũ uetulo uino ad summam usq; oram impletum afferret. Aut si maluerit cereuisiam q̃ uinum potitare, sunt mihi duo uasa in cella uinaria, quorum alterum est oppletum cereuisia Bremensi, qua Rhadamanthus posset impiorum animas si eius copiã apud inferos haberet acriter torquere, & huic uasculo insertum est ligneum eductorium quo ipse pot<sup>9</sup> ex uase educitur. Alterum uero est oppletum cereuisia Hamburgesi, quã (ut uerum fatear) puto esse locium furiarũ, aut saltem à furiis apud inferos ex ira & furore ut nostri orbis cereuisia ex ordeo & aqua decoquitur decoctam, & in nostram urbem usq; delatam, & huic tinæ est inserta area phistula, utro libet potest Sidonius potitare. Tandem cũ Sidonius erat uestibus suis rite indutus, iussi Dromonem primo fenestras clathratas aperire, grabbatulum sternere, & scopas aqualẽq; cũ aqua in cubiculum introferre, quibus introlatis, pauimẽtum cubiculi quod fuit quadratis crustis lateritiis constratum aqua conspergere conspersum scopis uertere, & puluisculũ conuersum egerere. Deinde arabicos odores incendere, ut nares nostræ quæ hactenus urinæ spurcicia fuerunt offensæ, meliori odore recrearentur, ad quod uerbũ respondit Dromo, O mi here nares meæ non odore arabici thuris, sed nidore percoctæ carnis oblectantur, nam omnium ungentorum ita me ament dii patellarii odor præ nidore percoctæ carnis mihi nausea est, ille odor est mihi stacte, cinnamomũ, rosa, crocus, casia & balsamum. Tum ego. Nõ mirum est inquam creditu catillonem magis nidore carnis q̃ odore thuris oblectari, qui summam fœlicitatem in catillis abliguritandis cattorum instar constituit. Quid enim mea refert te nidore carnis an uapore uentris obsibilãtis oblectarier, ego iubeo te odores arabicos incendere, & hanc mensam magnifico apparatu instruere. Erat orbis quidam acernus tribus pedibus suffultus in eodem cubiculo, quem primum Dromo mappa constrauit, deinde mappulas manuarias per extremam oram eius circũducens superimposuit, quibus cum stagneos orbiculos per certa interualla iniecit, salinum nõ neglexit, & ne quid ad mensæ apparatus deesse uideretur, duos circulos æreos quibus paropsides sustentantur in mediam mensam coniecit, quibus coniectis mox panibus ex canistro depromptis mensam per certa interualla onerare studuit. Et ecce in eodem tem-

poris pūcto Megadipus introrupit, gestans amphoram cereuisiæ cō  
 munis in dextra, & aliquāta fictilia pocula in sinistra, quæ ubi ampho  
 ram deposuit, iuxta panes in mensa rite collocavit, mensa igitur hoc  
 apparatu instructa, Dromo festinabundus singulos puluillos uentose  
 tumentes in singulas fellas iniiciens, eas in circuitu mensæ ponere cu  
 ravit. Interim Megadipus cum malluuium abesse præferat, illico  
 in triclinium properat allatum gutturnium cum æreo labro ac map  
 pa manuali, quibus per eum in cubiculum introlatis, accurrit Parme  
 no noster dicens. O mi here prandium ut iussisti curatum est probe,  
 ubi lubet ire licet accubitus. Quod cum audiui iussi Sidonium ma  
 nus suas abluere, ablutas linteis extergere, deinde ad mensam accum  
 bere. Sidonius uero ubi man<sup>9</sup> suas abluerat, & ablutas absterferat, ali  
 quantulū subsistens pedem suum fixit. Quod ego cum uidi mirabun  
 dus inquam. Quid cunctaris o Sidoni mensam accedere, timen te ui  
 rides serpentū spumas aut aconita potoriis uasis ebibiturū? S I D O.  
 Non edepol inquit aconita pertimesco, nec uirulētorum spumas ser  
 pentū, sed mēsam accedere moratus sum, quia indignum putauī me  
 prius ad mensam accumbere, q̄ tu honoratiorem accubitus in men  
 sa obtinuisse, quis putas non diceret me hominem rusticanum, & fa  
 balibus stipulis rudiorem, aut quemlibet alium inter capros uitam  
 transegisse? si uideret me primos recubitus in mensa ausu temerario  
 hero meo stante occupare, & superiorem accumbere. Cui ego accede  
 inquam intrepidus, & quemuis locum in mensa occupa, ego em̄ non  
 sum domi sed alio pransurus, hesternum quidem uespere uocatus sum  
 a præcipuis meis amicis ad hodiernum prandium ut me hilarem cō  
 uiuam apud eos agerem. Hæc me loquente Dromo inquit Serius est  
 iam nunc q̄ ut alio ad quodlibet aliud conuiuium eas, iam enim me  
 ridies ibit in uesperam, immo uespera si qua fides stomacho meo fa  
 melico habenda est ibit in noctem. Et ecce in ipso temporis pūcto so  
 nuit primam diei horam postmeridianā. Quod ubi audiui mox ad  
 luterem properaui, manus meas abluens, quibus ablutis & extersis ad  
 mensam accubui, iubens Dromonem ire in culinam allatum edulia  
 quæ sunt discumbentibus primo æstiuis duntaxat diebus apponēda.  
 Et ecce dicto citius attulit mihi Dromo edulium cōfusaneum ex cru  
 dis herbulis lactuca scilicet & nasturcio aceto perfusū & oliuo inun  
 ctum. Sidonio uero apposuit forbiciunculam ex ouis gallinaccis, ui

noq; & puluere aromatico confectam, quam cum Sidonius partim cochleario quod hausit partimq; scutella ambabus manib<sup>9</sup> ad os ad mota exorbuit. Tunc ego iussi Dromonem patinā cum reliquiis herbarum (quoniam ex herbulis tantum ederam quantum mihi lubuerat) tollere, & aliud edulium ocyus apponere, apposuit igitur mihi patinam cum ouis longa elixatione duratis, testa exutis, dispersitis ac petroselino minutatim conciso respersis, & in acri aceto natantibus, Sidonio uero posuit patellam cum binis ouis testa adhuc inclusis, ante & in calido cinere ad ignem leniter uersatis ac percoctis. Interim Megadipus amphoram cereuisiariā arripiens, fictilia pocula ad summum usq; orificium adimplere curauit, quibus impletis iussi eundem ire primo in cellam uinariam allatum cantharū uini uetuli, & deinde in discubitorium allatum duos uitreos calices multinodes cæteris capaciores, quos ubi una cū cātharo uini attulerat, iussi calices aqua effricari ac elui, elutos uino affluenter impleri, & in mēsam ante nos statui. Cum uero ex ouis uterq; tantum, quantum nobis collubuit absumpsimus, iterum iussi Dromonem patinas tollere, & alia opsonia nobis apponere. Posuit igitur ante me pulmentarium ex bubullis carnis tessellatim concisis, & uuarum passarum acinīs interiectis confectum, ac puluere aromatico affatim conditum. Sidonio uero apposuit pisces fluuiales quos lucios uocant, aromatico liquore innatates, & suauī sapore percoctos, Tum ego inter edendum dixi. O Sidoni cogitabundus uideris sis lætus, attinge pulmentarium noli uerecundari neminem ad mensam ut nosti uerecundari decet, & cum dicto propinaui ei meum uitreum calicem plenum salienti uino, quē ipse ex manu mea exceptum ad imum usq; fundum raptim & sine interspiratio ne ut antistitem Bacchi decet exhaustit. Vbi uero quid modicum ex opsonio uterq; suo pransus esset, iussi Dromonem illasce dapes amouere, & ocyus alias ante nos apponere. Apponebatur igitur mihi capus illaridatus, & ad ignē crebro uolumine uersatus ac percoctus, cui adiciebatur stannea quædam patella cum oliuis ex uase condimentario recenter depromptis. Ante Sidonium uero ponebatur opiparū ferculum ex sturione assum & piperis gingiberisq; polline & saccaro affatim conditum. Interim Megadipus utrunq; poculum fragranti uino adimpleuit, alterum mihi porrigens, & alterum Sidonio. Sidonius uero cyathum sibi porrectum dextra suā tenens sic inquit, O mi

here hūc cyathum dimidiatū tibi si lubet propinabo. Cui ego. Quid ni luberet, si totum cyathum mihi propinaueris, susciperem q̄ luberrissime. SID O. Et quando inquit tibi lubet totum calicem tibi propinabo, & cū dicto cyathum ori admotum funditus exhaustit, exhaustumq; iussit Megadipsum readimplere, & readimpletum ante me ut ebiberem apponere. Cui ego. Retine tibi inq̄ calicē tuū o mi Sidoni ego hunc meum calicem quem dextera sustineo eodem quo tu tuū pacto exhauriam. In ipso ferme momento Parmeno se intro capeffit gestans duos panes cibarios, alterum sub dextera ascella, & alterum sub leua, & ligneum alueum in ambabus manibus plenum pridianis carnibus frigidis, utpote syncipite suillo, perna semesa, callo & clune aprinis, & duobus lōgis farcimimbus multa adipe refertis, quem Megadipsum utraq; manu lætabūdu exceptum tabulæ quā Dromo duobus subselliis tripedibus paruo interuallo a se inuicē distantibus iniecerat superimposuit. Interim Dromo panes memoratos ex subascellis Parmenonis excipiens, alterū iuxta alueum in tabula collocauit, & alterum ad pectus suum læuum admouit, & admotum in duas partes cultro suo panario diuisit, quarum alteram sibi retinuit, & alterā Megadipso porrexit. Pane igit̄ bipertito & in utrunq; diuiso Dromo dicto citius dexteram in alueum iniiciens, clunem aprinum arripuit, & arreptum cum pane alternis morsibus occepit deuorare. Megadipsum uero manum suam in catinum pari celeritate immittens perna semesam rapuit, & raptam rictibus suis admouit, admotam cum pane uicissim satagit inglutire, Eodem ferme pacto reliquū panem cū reliquis carnibus ut famelici lupi infulerūt ac deuorauerūt. Absumptis igitur carnib⁹ alueum exinanitū exertis linguis cattorum instar ligurierūt, ut eos si eorū ingluuiem corā spectasses, ad imos usq; pedū digitos exinanitos fuisse putasses. Tantæ enim erant gulæ ut medius fidius rapacitate cum harpyiis & uoracitate cū Cerbero a quo Marte certassent. Nunquam sunt tam saturi aut cibus distenti, quin relinquunt in uentre cellæ uni locum, ubi reliquias mēse meæ, si eis apponerentur recōdant. Vbi illasce igitur dapes quibus duo edacissimi lupi contenti fuissent in breuiculo temporis momēto absumpsissent, deuorassent & inglutissent, tāta afficiebantur siti, ut ipsū mare quod omnes terras omnifariam & pene undiq; uersum circumfluit sitibundis faucibus absorbere posse uiderētur. Cucurrit igitur Megadipsum:

in cellam cereuisariam allatum amphoram quandam capacissimā  
plenam cereuisia communi, qua uasa cereuisiaria (quæ efferbuerūt)  
suppleri debebant, hanc ampullam per Megadipsum in cubiculum  
introlatā Dromo & Megadipsum alternis haustibus ad turbidas usq;  
feces exorbuerunt, ut eos non homines sed inexplebiles charybdes &  
cereuisiæ baratra putasses. Exinanita igitur amphora, iussi Dromonē  
paropsides nostras tollere, & lancem cum butyro flauenti nec non &  
canistrū cum caseis bubulis & ouillis mensæ superimponere. Interim  
Megadipsum calices nostros uino impleuit, quos facili opera ebibim⁹  
ebibitos readimplere iussimus, & readimpletos ante nos apponi. Vbi  
uero ex butyro & caseis quid modicū insumpsimus, iussi Dromonem  
patinam cum butyro, & canistrum cum caseis amouere, & si qua bel  
laria haberet apponere. Apposuit igitur nobis duas patinas cū pomis  
quarū altera erat semiplena ceraseis aqua perlutis, & altera plena fla  
uis & liuidis brunis. Itemq; calathū cū malis acidis anniculis & præ  
cocibus, hornis. Vbi uero bina terna ue ex quibuslibet pomis uterq;  
insumpsimus, iussi Dromonem reliqua tollere, & deinde linteum mē  
sæ cū apparatu suo remouere. Remoto igitur mēsæ linteo, iussi Dro  
monem alueolum aleæ cum tesseris & orbiculis illico afferri, ut ani  
mos nostros luto aleatorio recrearemus. Quod cū Sidonius audiuit,  
ah noli inquit imperare uti tabula aleatoria afferatur, cerebrū meū  
finditur, & cor meū quidem guttatim tabescit quasi in aquam indi  
deris salem, ubi istius ludi aleatorii fit quæq; mētio. Tum ego. Quam  
ob causam? S I D O. Causam dicere prohibeor. B A R. Quis inquam  
prohibet? S I D O. Ariolare. B A R. Dolor inquam & pudor. S I D O.  
Recte ariolatus es, nam me suppuadet dicere quod non suppuauit fa  
cere, dicam tamen licet dolor & pudor obstēt, & en incipio, hic ludus  
dum adolescens eram exiit me miserum in quadam cauponula pri  
mo omnibus nummis meis præsentariis cum matuaticis. Deinde uil  
lis agris & possessiūculis, ut ne hara quidem suilla mihi superesset, aut  
tantillum loci ubi catellus cubitare posset, postremo uero omnibus  
tunicis cum amiculo & crepidulis, ut ne intima quidem tuniula mi  
hi superesset, ut te si affuisses non homunculum denudatum, sed cucu  
lum hybernū deplumatum spectare putasses. B A R. Papæ quid iā  
ex te inquam audio? S I D O. Id quod uerū est. B A R. Si istuc inquam  
uerum est quod cōmemoras, pauperior eras q̄ Diogenes ille cynicus.

**SID O.** Immo longe pauperior, nam illi reliquum erat dolium uer-  
 satile, quod ad faciē solis diurni instar solstitialis herbæ obseruabat,  
 mihi uero præ nimia paupertate ne cauea quidem minima (sub qua  
 gallina cum pullis suis succubare posset) erat. Illi erat tunica interula  
 palliolum quod superne circumiecerat, & pedum regimenta baxeæ  
 mendicorumq; supellex baculus & pera panaria. Mihi uero proh do-  
 lor nihil horum erat, nō modo non uidebar Diogene, uerum & quo  
 uis mendico circūforaneo pauperior. Quod cum (licet fero) animad-  
 uertissem, nec ullum uerbum ac ne tacitum quidem gemitum quiui  
 emittere, post aliquātulum temporis ocepī meam fortunā meosq;  
 casus grauitē ingemiscere, & uacuas manus sapicule cōplodere, pe-  
 desq; incertis alternationibus commouere, modo hanc, modo illam  
 capitis partem quæ mihi nō pruriebat adscalpere, & ore semiclauso  
 balbutiens nescio quas querimonias effutire. Tandem dolore ingra-  
 uescēte subito uelut lymphaticus incepti uictorem meum immo her-  
 cle expoliatorem omnibus maledictis quæ quiui comminiscier one-  
 rare, compellans eum trifurem, latrunculum, sicarium, uenenarium,  
 patriæ proditorem, parricidam, sacrilegū, periurum, legirupā, perni-  
 ciam adolescentū. Et cum dicto libratum pugnum in ora eius impe-  
 gi, ut gingiuas eius edentarem, ipse uero extemplo mihi caput corre-  
 pto de mensa alueolo excerebrasset, nisi unus ex collusoribus nostris  
 Misargyrus nomine qui adsedebat altrinsecus interpedisset, & rixas  
 nostras intercessu suo diremisset, in ipso ferme tēporis puncto accur-  
 rit minister cauponarius, q̄ me miserū affatim plagis castigatū forin-  
 secus abiecit, & tris canes uillaticos feros atq; immanes ē cauea sua  
 in qua per tempus diurnū cōcatenati cubant, emisit, & in exitiū meū  
 inhortatos immisit, qui simul signo solito ministri cauponarii incē-  
 si atq; inflāmati furiosaq; rabie conciti, & allatratibus etiam absonis  
 horrendi eunt in me miserum, quod cū uidissem, illico silicem quen-  
 dam de uia tremebundus corripui, correptum in caput propinquo-  
 ris canis accurrentis magno nisu contorsi, sed impetu casso per extre-  
 mum dorsum transcurrens lapis cōtra opinionem meam deciderat  
 in terram innoxius, quo lapidis iactu canis alioqui exasperatus, furio-  
 sus me miserum rabido ictu aggreditur, aggressum terræ grauitē ap-  
 plosit, applosum ipse ceteris canibus coadiutoribus mēbratim discer-  
 pere tentauit. Sed in eodem pene momento accurrūt uiri rusticani,

qui meum miserabilem ululatum cognouere festinabūdi suppecias,  
hi cum sudibus, isti cum furcis bicornibus, illi uero cum perticis qui  
bus segetes demessæ in area flagellātur, qui ubi appropinquauere, nō  
modo armis suis rusticis, uerum etiam sublati clamoribus canes abs  
me abegerunt. Abactis igitur canibus me miserum humi supinatum  
in pedes statuerunt, ex corpore meo sanguinē laciniis & quibuslibet  
aliis panniculis deterferunt. Deterfo igitur sanguinis profluuiō, acces-  
sit quidam ex uicinis meis, cui nōmen erat Eleus, qui me miserum ap-  
prehensam ad ædes fratris mei maioris natu Alexios perduxit, qui ubi  
cognouit me a canibus admorsum, & uariis uulneribus distractū, sta-  
tim medicum uulnerarium cum pyxidiculis ungentariis ex urbe pro-  
ximiore acciri flagitauit. Hastenus adhuc Sidonio fabulante ego ser-  
monem eius hisce uerbis interrupi sic inquiring. Tace tace mi Sidoni,  
sat historiarum est, tu non nisi tristia commemoras. Ego me hercle  
uolo uel ludo quippiam uel cantu lyrae aut tibiae oblectari. Et cum di-  
cto interrogauī Dromonem, sciret artem tibi cinariā (quæ acuto tin-  
nitu & graui bombo concentum musicum miscet) nec ne? Respōdit  
autem Dromo mihi se eam prorsus nescire, sed si mihi luberet, caner-  
et mihi quamlibet suauem cantilenam. Iussi igitur eum cantilenam  
quampiam dulcē de Ioue optimo maximoq; occinere, qua cum au-  
res nostras tum maxime mētes sua modulatione permulceret. Quod  
cum fando audiuit me. O inquit mi here una opera iubeas eum in ce-  
lum ire salutatū nomine tuo Iouem, tam illud potest q̄ istud, Nostin  
uetus prouerbiū esse, nihil cum fidibus graculo, aut cū amaricino  
sui, quisnam docuisset hunc comedonem artem musicam? quæ ex lō-  
gis & breuibus, acutis & grauibus sonis constat, & tam diuersis & dis-  
sonis uocibus harmoniam (ut ex te crebro audiui) reddit. Hic enim nu-  
dius tertius (cum dionysia celebrauimus) occeperat quandā (nescio  
quam) cantionem q̄ maxima uoce personare, ut eum tragœdum (si  
audisses) putasses, qui (ne claritudo uocis arteriis aboleretur) identi-  
dem boando raucitatem suam purgaret. Ego me hercle mallem ag-  
gannitum uulpis immo grunnitum suis, & ut uerius dicam clamorē  
cuiusuis asini Arcadici obraucati q̄ uocem huius Dromonis audire.  
Et id ipsum ni fallor malles si ipse occiperet suo more cātitare, hoc est  
instar hedi obuagire. Cui Dromo. Nostin tu inexplēbilis cereuisiæ uo-  
rago suauius q̄ ego modulari? aut potes lusciniolam uoce tua a qui-

parare? cur igitur non canis? cur nō probas te posse sirenum sympho-  
 niā multiformibus modulis exuperare? Dic bibio dic. MEGA. Iam  
 pridem cantassem inquit si herus me⁹ me canere iussisset, nihil enim  
 debet seruus bene frugi qualis ego sum iniussu heri sui attētare, si non  
 uelit eius indignationem infaustis auibus incurrere. Cui ego. Si autē  
 tu inquam putas te suauius isto modulaturum, illam eandem canti-  
 lenā de Ioue optimo maximōq; te nūc modulari iubeo. M E. Nulla  
 inquit carmina de Ioue canere scio, sed si tibi luberet occinerem sua-  
 uem quandam cantionem de diis meis peculiaribus. B A R. Qui sūt  
 inquam dii tui peculiare? de quibus cantilenam etiam dulcisonā te  
 canere offers. M E, Dii mei inquit, peculiare sunt uenter meus & uxor  
 sancta saturitas, quos ego ab ineunte æuo in hunc usq; diem ut epicu-  
 reum decet religiose colui, & colo, & quo ad mihi uita supererit colā,  
 non modo peruigili anniuersario sacro, aut mensariis supplicationi-  
 bus, uerum & diurnis nocturnisq; comessationibus & potationibus,  
 quibus huiuscemodi dii placantur ac tranquillantur, ut mare non sit  
 trāquillus cum alcedo educit pullos suos. B A R. Abi inquam in ma-  
 lam crucem cum istis diis tuis quos homo bene frugi præ nimio de-  
 spectu ne pecudum quidem ne dum hominū censeat esse deos, quāq;  
 uos epicurei qui infra quaslibet pecudes uestram ob ingluuiem estis  
 detrusi, eos deos habeatis, & cum dicto cōuerti sermonem meum ad  
 Sidonium sic inquit. Sidoni postera die ientaculatione cōfecta sar-  
 cinulis tuis sumpris uiam capeffes & ad patriam profectiōē diriges,  
 herum tuum Pancratium postliminio reuisurus, qui aduētum tuum  
 animo anhelō, ut literæ suæ ad me perlatae indicant opperitur, quod  
 si deinceps facere distuleris, aut si supinam procrastinationem reiece-  
 ris, herum tuum implacabiliter (mihi crede) offendes, nōdum hæc fi-  
 nieram Megadipsus uerba mea interrūpens sic profatus est. Hesternō  
 uespere fando audiui latrones uias infestare, & uiatores quosq; pecu-  
 niis sarcinisq; exonerare. B A R. Tace inquā nugigerule, uanum est &  
 opido falsum uias latrūculis infestari, & uiatores depredari, esto q; la-  
 trones uias infestent. Quid igitur uiatori de summa pauperie latrun-  
 culi sufferre possent? an ignoras stulte nudum quempiam non à decē  
 militibus obarmatis expoliari posse. Sidonius noster non solet esse pe-  
 cuniis cum proficiscitur oneratus, licet sit pera & laguncula ut philo-  
 sophum decet suffarcinatus, Non tamen hinc abibit incomitat⁹, sed

Dromo erit pedisequus ei⁹, qui gladio suo cinctus, & ferrata clauicula instructus, latronibus erit formidini, & Sidonio praesidio. Quod cum Megadipus audiuit ridiculos iocos in Dromonē instruxit, sic inquit. O mi Dromo si uis saluti tuæ esse prouisum, uade cōcito gradu consultū haruspices, aut si mauis genethliacos, qui prodigiosis artibus res omnis post futuras praenoscūt super exitu profectiois tuæ, an ne sec⁹ faciēs infaustis auib⁹ iter capeffas, at uitæ periculū imprudenter quod dii uortāt incurras. D R O. Tua inquit quod nihil refert ne cures, profectio mea ne sit fausta non requirit haruspicem cum lituo, sed crumenam cum uiatico, nō chaldaum cum ephemeride, sed manticam cum pane & caseo, & quod pene praeterieram lagenam cū cereuisia, aut quod malletm uino. Vbi hæc finieram dixi ad eum. Bono sis animo mi Dromo, postera die diis bene uolētibus instruam te largo uiatico quo & tibi & Sidonio posses esculenta cum poculentis in tabernis diuersoriis affatim comparare. D R O. At tu here inquit quod te decet facis, & nunq̄ facere destitisti, quod ad officium boni & liberalis uiri quomodolibet pertinere uidebatur, nūc uero unū est quod a te uehementer peto, quæris quid sit illud? ut scilicet liceat nobis uiam carpento conficere. Sidonius enim quod tute etiā non ignoras est male pedatus, quā ob rem mallet carpento q̄ pedibus uia conficere. B A R. Non tutum est inquam carpento uia scrupis stirpibusq; infestam capeffere. Superiori uero anno cum patriam meam petiturus quadrigas meritorias incendissim, & ad octauū itineris mei miliarium iam peruenissim, carpentum caudicis cuiusdam toto ad quē sese rotarum orbis offenderant subuertebatur, & me euolutum & excussum humiq; iacentem in inuersum cooperiebat ac tegebat. Ne uobis quid simile obtingat magna cautio est adhibenda. Consultius tamen uisum est uos patriā equis q̄ quadrigis petere, Est mihi unus ut scis equ⁹ asturco tollutim gradiēs pro Sidonio, si esset mihi alter pro te, poterit uterq; equo uestari. Vix finem orationi imposui, cum Megadipus inquit, Bono sis animo mi here. Est mendicus quidā circumforaneus in xenodochio habēs asinum clitellarium, solitum gestare infantes eius impositos duabus corbulis hinc & hinc dependulis, quē exiguo precio quoniam nudius quartus māfuetiorem pro infantulis suis gestandis emerat cōparare posses, & comparatum exornare phaleris aureis & fucatis ephippiis, & purpureis ta petis, & frænis argenteis

& pictilibus balteis, & tintinnabulis perargutis, ut non uideat esse asinus, sed equus onocephalus, qui non magis dedecet Dromonem quā olim equus bucephalus Alexandrum illum Macedonū regem, Ehem & quod pene silentio praterieram is asinus quem memoro est ad speciem honestus, ad cursuram uegetus, & ad uecturam ualidus. Et Dromonē non modo perneciter, uerū etiam molliter peruchet, quoniam probe calciatus est corneis soleis a magistro artis laternaria. Nondū hos iocos finierat, cum Dromo in hasce uoces prorumpēs ait. Abi in malum cruciatum cum illo asino clitellario, & desine mihi illudere alioqui Eumenides tenebunt faces audis hoc asine bipes? **M E** Cur inquit mihi obirasceris? si non uis asino residere, infideas alato Persei pegaso. Quid enim mea refert quo iumento resideas, utrum asini dorso an catti tergo an pedibus iter capeffas, Quicquid ego dixerim pro commodo dictum putato. Veruntamen ut mea fert opinio, satius esset te catti tergo insidere quā pedibus iter scruposum æstiuis diebus cōficere, & intertriginem ex diutino itineris labore contrahere. Est mihi cattus pulchello capite, oculis nigris, auribus acutis, naso decenti, ore minuto, mento raris fetis obsito, ceruice crassa, tergo obeso, uentre mediocriter proiecto, cauda pilosa, & in iustam longitudinē exporrecta pedibus latis, pelle nitenti, femoribus emasculatis, & ut uno expediā uerbo totus bellulus, Illi si tibi lubet capistrū tanquā cantherio iniice, & capistratū conscende, ut non uidearis miles asinarius sed catararius. Præterea sunt mihi sex immanes mures quos muscipula mea ustulatis lardi offulis instructa intra hoc tridū in cella penaria gaudibundus cepi, hoc sacco inclusos in catti pabulum tecum feres, ut pecunias quas pro huiusmodi iumenti pabulo expendes, in peculiū tuū conferēs ditior euadas. Eo autem adhuc fabulāte Dromo infrensus dentibus suis pugnū fibratū in os eius incussisset, nisi ego medius intercessissem, & ictum minitantis pugni brachio meo auertissem dicēs. Heus tu Dromo si quid dictum est per iocum nolito in seriū cōuertere, præcipue illud quod homo potulentus & animi impos cereuisiæ uitio dixerit. **D R O.** Non placet inquit in mutum quippiā conferri, quod loqui non potest, nam cereuisia si fabulari posset se defenderet, Sed homines minimi precii illico confugiunt ad ebrietatis accusationem, tanquā in aliquod phani asylum, & quæ pessime fecerunt, ea non suæ temeritati sed ebrietati attribuenda esse dicunt, Sed lōge

æquius (meo iudicio) esset de huiuscemodi hoibus duplex supplicium  
sumere pro duplici uitio ebrietatis scilicet & temeritatis. Cui Mega-  
dipus. Ille extra noxam est censendus qui id facit quod dii cum face-  
re cogunt. Osiris cuius numine afflatus sum cogit me hosce ridiculos  
iocos in te effutire. Si essem mentis meæ compos, nulla mercede pos-  
sem induci, ut unum ridiculum uerbum uel minimū in te congere-  
rem. Tum Dromo inquit. Hercules cui ego numine afflatus sum co-  
git me manus in buccas tuas iniicere, & ora tua temeraria pugnis cō-  
tundere ut desinat huiusmodi ridicula in me effutire. Ea igitur inter  
eos cōtentio longius producta fuisset, nisi ego arbitratus fuisssem nō  
operæ precium esse easdem has altercationes diutius audire, iussi igi-  
tur utrūq; obmutescere, & obstrepentes linguas illico compescere, &  
cum dicto inieci manum meam in marsupium, expromens uicenos  
stateres argenteos, quos Dromoni pro utriusq; uiatico manibus me-  
is adnumeravi dicens, Dromo hic sunt uiceni stateres argentei, quo-  
rum singuli pluris æstimantur q̄ quatuor nummi argentei nostrates,  
quos stuferos uocant. Vide si quid erit dubium immutabo, Nōdum  
hosce Dromo in loculos suos demiserat, cum Parmeno cubiculum  
introgrediens annuncians Philotimum nostrum cum duobus mini-  
stris suis mercenariis in uestibulo domus meæ stare, & me ad pinguis-  
simum cerui femur inuitare. Quod cum audiui dixi. O Parmeno dic  
Philotimo meo me è uestigio ad se uenturum, & ad cœnam secum  
iturum. Parmenone autem abeunte ego Dromonem in hæc uerba  
allocutus sum, sic inquit. O mi Dromo postera die Sidonio equi-  
tante tu iter pedibus quando non est tibi equus cōficiens, haud tu her-  
cle ministerio equi indiges, quoniam potes ni fallor armenias tigres  
& parthicas sagittas uelocitate præire, quod nominis tui interpreta-  
tio astruere uidetur. Dromo enim cursum sonat, & ne duricies itine-  
ris plantas tuas ledat, calcea te illis calceis quos nudius quartus pita-  
ciis suppegisti, & clauis caligariis suffixisti. Et cum dicto conuer-  
ti sermonem meum ad Sidonium sic inquit. O Sidoni ego sum ut au-  
disti cœnaturus cū Philotimo meo qui me in uestibulo domus meæ  
operitur, ut una secum ad cœnam pergam. Tu uero cum Dromone  
meo hilares conuiuas hoc uespere actis, archimagirus meus Parme-  
no suppeditabit uobis esculentorum abundantiam, & pocillator meus  
Megadipus idem & promus poculentorum affluentiam. Vix hæc pro-

fatus fueram, cum Sidonius surgens caput suum aperuit, & dexteram meam apprehendit sic dicens. Iam nunc uolo tibi mi here ualescere, & gratias pro tuis immortalibus beneficiis in me collocatis cū non possim referre saltem habere. Si forte crastina die qua hinc abiturus sum non daretur mihi ualefaciendi opportunitas, possibile est enim me cogi hinc, prius q̄ tu te lecto corripas abire, & iter destinatum cape. Vale igitur mi here & mihi ut mancipio tuo impera. Tū ego Et tu Sidoni uale & iter destinatum faustis auibus cape. Pancrati- umq; herum tuum meo nomine saluere plurimum iubeto, iterū uale. His dictis cubiculo excessi, contendens festinabundus in uestibulū domus in quo erat ut supra memorauī Philotimus meus cum ministris suis mercenariis qui cum primum me conspicatus fuerat, at tu inquit longas moras nectis, sonuit sextam horam uespertinam, tempus est cœnandi, eamus ad ædes meas cœnatum, affatim cuncta dulci sapore scio sunt percocta, eamus inquam, hæc tecum mi Pancrati per literas ut aiunt iocatus sum. Sed tu forsan iam nunc admiraberis, q̄ ego non dixerim ubiq; uerisimilia, neq; seruauerim ubiq; in personis ac rebus decorum secundum præcepta artis oratoriæ. Itemq; q̄ non seruauerim ubiq; breuitatem uenustatemq; & mundiciem comicæ orationis. Sed nihil est quod admireris, si ego nolim sepium sudes uetustate putridas purpureis amicire chlamydulis, aut cassas nuces iuglandes aureis inaurare bracteis, olfecisti iādudum ni fallor quod uelim, quoniam quidem homo es nare sagaciorē q̄ canis uenaticus, immo hercle q̄ uultur famelicus. Sed de hac re satis. Caterum nosti quibus & quantis te iam pridem oneraui precibus, ut mihi remitteres geometriam Euclidis, theoricam planetarum, & metaphysicam Aristotelis cum commentariis Thomæ Aquinatis, sed nondum curasti remittere, cura igitur prope diem remittas. Vale & magistrū Theodericum uirum peripateticis disciplinis apprime eruditum, & geometriæ non minus q̄ arithmeticæ peritum meo nomine plurimum saluere iubeas. Iterum uale ex Dauentria sexto Idus Iulias. Anno nostræ salutis. M. CCCC. XCVI.

F I N I S

D iii

**QVORVNDAM DIFFICILIVM VOCABVLO**  
rum in præcedenti epistola positorum succincta  
& brevis interpretatio.

**Abliguitare** est auide multa consumere, & cōsumptis dapibus ca-  
tillos lingere.

**Abdomen** sūmen dicitur q̄ abditum sit, a poetis tamen aliquādo  
pro larido ponitur, hoc est pingui duro. Iuuenalis. Mōtani quoq̄ uen-  
ter adest abdomine plenus.

**Acer** arbor, q̄ acria in ea artificum ingenia exerceantur. Inde acer-  
nus. a. ū. **Acetabulū** genus uasis quod est minoris capacitatis q̄ urna.

**Acinus** granum est, ut acinus uuæ media correpta.

**Acor** aceti est acritudo aceti. Et est acetū nihil aliud q̄ acre uinū.  
Inde **acidus**. a. um, & acetosa herba est saporem aceti præ se ferens.

**Aconitum** herba est, immo uenenum omniū uenenorū ocysimū  
innascitur rudis cautibus, quas græci aconas uocant, & ideo aconitū  
uocatur penultima longa. **Actutum**. i. statim. **Admutilatus**, a. um. i.  
truncatus, cōminutus, decurtatus. **Adoriri** aggredi est.

**Affatim** media syllaba breui id est abunde satis,

**Agon** certamen pugna colluctatio, & pro loco certaminis interdū  
ponitur. **Ahenum** cacabus æneus est, qui supra focum pendet quo  
aqua calefit.

**Ain**. i. ais ne. **Alcedo** auicula est quæ alio nomine alcyone dicitur.  
Hæc medio fere hyemis in mari ipso nidificat, quo tempore si pont⁹  
undosus fuerit, positus ouis mansuescit, cadūtq̄ procellæ omnes donec  
posita oua foueat. Plau. in penulo. Quam mare dulce est, quomodo  
ibi alcedo pullos educit suos.

**Alueus** genus uasis est, cuius diminutiuo usus est Hierony. cum ait  
in libro Danielis, Abacuk intriuerat panes in alueolo ut ferret mello-  
ribus. Declinatur nōnunq̄ & hoc alueum pro eodem genere uasis, cu-  
ius diminutiuum est alueolum, quod significat tabulam aleatoriam,  
quæ etiam aliis nominibus pyrgus, simum, fritellus uocatur.

**Altrinfecus** id est iuxta alterum latus.

**Amabo** media syllaba producta interiectio blandientis est.

**Ambages** circuitus est, & pro illusione nonnunquam ponitur me-  
dia longa. **Amaracus** herba odorifera est. Inde amaracinum oleū  
apud Plinium. **Ampulla** cadus est. **Antesignanus** uexillarius est.

Apage græcum est id est amoue. Appendistin. i. appendisti ne.

Aqualis uas aquarium. Archimagirus græce dicitur, latine principalis coquus. Asylum locus confugii est. Et componitur ex a quod est sine,  $\sigma\upsilon\pi\epsilon\omega$  traho eo quod locus est a quo neminem per uim trahere licet, & producit mediam.

Arctos græce dicitur latine urfa, & est duplex urfa circa polum septentrionalem, maior scilicet & minor, maior uocatur helice, minor uero cynosura. Inde deducitur arctous, a, um, id est septentrionalis, & arctophylax. Arctophylax græce interpretatur latine urfæ custos. Et alio nomine dicitur bootes id est bubulcus, quia hæc cōstellatio more bubulci plaustrum sequi uidetur. Ouidius. Arctophylax formam terga sequentis habet.

Ascella est diminutiuum ab ala, & ponitur pro brachio hominis. Hierony. in prouerbiis capitulo xix. Abscondit piger manū suam sub ascella, facit autem ala (ut Prisciano placet) axilla per diminutionē

Astipulari idem est quod assentiri siue asserere. Inde astipulatio nomen uerbale id est assertio siue affirmatio.

Asturco equus est in Hispania genitus, ab asture opido siue asturia gente ita appellatus, & molli gradu & sine succusutura incedit. Et uocatur alio nomine tolutarius equus a pedū uolubilitate quasi uolutari<sup>9</sup>. Vnde tolutim aduerbium quasi uolubiliter. Plau. Demā hercle de hordeo ni tollutim uadas. Et idē equus nonnullis dicitur gradarius.

Atrabilis nigra cholera est, quam græci melācholiā uocāt. Est em̄ bilis cholera. Vnde biliosi dicuntur cholericis, & illi sunt procliuēs in iram & furorem.

Aula atrium est, sed ueteres aulam dicebant quam nos dicimus ollam. Et Plautus fabulam suam ab aula hoc est olla inuenta aululariam nominauit. Axis hyperboreus ponitur pro plaga septentrionali. Et axis libycus pro plaga meridionali.

Bacchabundus, a, um, id est furibundus.

Baxea genus calceamenti, & est idem quod crepida siue solea.

Belua immanis fera est, & dicitur belua quasi bellum gerens. Inde beluatus, a, um, ut tepeta beluata dicuntur quibus formæ beluarum sunt intextæ. Bellaria dicuntur omne secundæ mensæ genus, hoc est cibi qui secundo loco apponuntur in mensa.

Bibio uermiculus est qui nascitur in uino corrupto.

Bibliopola græce dicitur latine librorum uenditor penul. longa

**Bootes** uide in dictione arctophylax.

**Bucca** est interior illa concauitas oris unde uox prodit, & qua cōcipitur flatus. Inde bucculentus dicitur qui habet magnam buccam.

**Bucephalus** fuit equus Alexandri Magni, ita appellatus, ob similitudinem bubali, quam in capite suo præ se ferebat.

**Bulbus** apud idoneos nō tm̄ pro cœpe ponitur, sed etiā pro omni radice rotunda, unde legimus bulbos narcissi & bulbos raparum.

**Busiris** rex erat ægypti Neptuni & Libæ filius, qui oram omnē nilo adiacentē latrociniiis infestabat, hospites enectos diis sacrificabat, occidit, & diis suis immolauit, Oui. Ergo ego fœdantē peregrino templa cruore Busirim domui. Blaterare est incondite & inaniter loq̄

**Bractea** est tenuissima ex auro & argento uel alio metallo lamina

**Cacabus** uas est in quo pulmentum coquitur.

**Cadus** est proprie genus uasis acuti fundi, ita ut sine adiutorio stare non possit, & nonnunq̄ pro cantharo ponitur.

**Caduceus** mas. g. ut scribit Marcellus uirga erat Mercurii, qua pax signabatur, & qua Mercuri mortuos fabulose resuscitauit, a caduceo formatur Caduceator, qui legatus dicitur pacē petens autore Pōpeio.

**Caritas** rei frumentariæ est penuria frumenti.

**Cataplasmata** dicuntur malagmata, & cōstant ex floribus fere eorumq̄ surculis & axungia, & a barbaris emplastra nominantur.

**Catinus** uas est escariæ mensæ ubi pulsem aut aliquid iurulēti ponebant. Inde catillus per diminutionem, & catillo qui catillorū liguritor dicitur. **Canistrū** est cista rustica ex uiminibus facta in quam reponitur panis, & dicitur alio nomine cophinus siue calathus.

**Cauillatio** est proprie subdola ratio, quam conscii nobis mendacii uincendi tamen causa proferimus. Et accipitur interdum pro quadam faceta & iocosa dicacitate.

**Caudex** & **codex** (utroq̄ enim modo effertur) teste Seruio super primum Georgi. liber & truncus uocatur, ut est apud Virgilium. Caudicibus festis. **Caupona** & **copona**, taberna uinaria propter copiam rerum. Inde cauponula per diminutionem, & cauponius, a, um.

**Cantherius** est equus emasculatus siue castratus.

**Carpentū** genus carri est, Ouidius. Nam prius ausonias matres carpenta uehebant. Hæc quoq̄ ab Euandri dicta parente reor, unde carpentarium equum dicimus qui carpentum ducit.

CO  
ach  
rip  
ign  
mas  
Co  
mar  
tor  
Cq  
tz  
esse  
ferio  
fer  
in  
poni  
in  
in  
po  
me  
al  
to  
lo  
Bo  
ul  
alle  
bi  
di  
de  
an  
T  
ne  
u  
lo  
ue  
cl

unc po  
a, Hygem  
te, quem  
flum so  
randas u  
est qui ma  
in ouum  
um plicum  
aria alias po  
Et dicitur  
m, Ca  
sta uorant  
dicitur cer  
spanis est pa  
est parui u  
dicitur fluu  
ur lamentum  
ges gis & com  
Compilare  
luta est furat  
producit me  
i cōclauē mag  
clauē claud  
est interpre  
est locus in q  
um significat  
ilodis cum pla  
lari solebant, &  
Corbis mas  
ni generis test  
pria se inquit  
teste Varron  
cophinus. Ch  
haldzi primo  
s, a, um i. clat  
bus munitur  
e est clathris

Charon hunc poetæ dicunt obseruare tria inferni flumina, hoc est acherontem, stygem & cocytum, quin & defunctorū animas ad aliā ripam uehere, quem squalore esse terribilem fingunt, oculos habere igneos, amictum sordidum, magnam caniciem, remo & uelis ad animas transportandas uti. Cecutiō est obtuse ac debiliter uidere.

Cetarius est qui magnos pisces uēdit. Cete enim maiores pisces in mari sunt non ouum sed animal parturientes, Cetarius etiam piscator magnorum piscium dicitur.

Cella penaria alias penuaria est illa in qua res esculentæ & poculæ reponuntur. Et dicitur cella à celare, quod in ea celetur quod uolumus esse occultum.

Cerberus, hunc canem esse tricipitem inauditæ feritatis, cuncta uorantē & regni Plutonis custodem poetæ omnes asseruerunt. Et dicitur cerberus quasi creoborus hoc est carnem uorās.

Cibarius panis est panis uulgaris & rusticus. Cyathus est paruū poculū hoc est paruū uas potoriū. Cincinnus dicitur capillus intortus.

Cocytus dicitur fluuius infernalis qui ex styge palude nascitur & interpretatur lamentum.

Compages, gis. & compago, inis, est idē quod coniunctio siue compositio. Compilare media corre. est pilos euellere, sed compilare media producta est furari.

Conclauē producit mediā syllabam, Horati. in ser. xvi. Currere per rotum puidi cōclauē magisq;. Et cōclauia autore Pompeio dicuntur loca quæ una clauē clauduntur, hic uero cōclauē ponit pro cubiculo.

Coniector est interpres somniorum atq; ominum.

Confluens est locus in quo duo flumina confluunt.

Corollarium significat id quod additur præter illud quod est debitū quod in ludis cum placuissent actores præter promissas coronas aliæ quoq; dari solebant, & accipitur interdum pro principali mercede laboris. Corbis masculini generis est teste Prisciano, quin etiam fœminini generis teste Seruio super primum georgicon, unde Tullius messoria se (inquit) corbe contextit, & format per diminutionem corbula teste Varrone de lingua latina, & nonnunquam græca uoce dicitur Cophinus. Chaldæus accipitur pro quo quolibet astrologo, eo quod chaldæi primo astrologiam inuenerunt.

Clathratus, a, um. i. clathris munitus. Sunt enim clathri ligna cauearū, uel quibus munitur aut sepitur aliquid. Inde fenestræ dicuntur clathratæ hoc est clathris munitæ.

Clauus caligarius est clauus qui subfigitur soleis calceamento nam caliga proprie dicitur calceamentum, sed abusu pro iadumēto cruris. Clitella instrumentum quo sarcinæ colligatæ sunt mulis siue asinis, dicta quæ eiusmodi animalis ornamentum sit. Inde asinus clitellarius. Crepida fuit teste Seruio Tuscum calceamentum quod corrigiis ligabatur, & dicitur latine solea, & eius diminutiuum est crepidula. Inde sutor crepidarius dicitur qui crepidas facit.

Cribrum pollinarium est instrumentum foraminosum aptum ad pollinem purgandum, sed quod aptum est ad farinam excutiendam cribrum excussorium dicitur. Pollen autem est grossiunculus puluis, nam illud pollen in tritico dicitur, quod flos appellat in siligine. Accipitur etiam pollen pro puluere aromaticum contusorum.

Crocodilus quadrupes aial est hominibus terra pariter atque aquis infestum. Nilus crocodilum producit, caret linguæ usu. Solus ex omnibus animantibus superiorem mandibulam mouet magnitudinem excedit plerumque duodecim cubita. Oua parit quanta anseres, dentibus armatus est & unguibus, & cutem superius habet contra omnes ictus inuisitam. In uentre autem mollem & teneram, Terribilis hæc contra fugaces belua est, fugax contra insequentes, hebetes oculos habet in aqua, extra acerrimi uisus est, conspecto homine emittit lachrymas, mox appropinquantē deuorat. Vnde factum est prouerbiū. Lachrymæ crocodili, de his qui sub specie pietatis homines fallunt.

Dama genus est capræ syluestris, & eius diminutiū est damula.

Dedolare est contundere siue recidere.

Delumbare & prælumbare est alicui lumbos perfringere.

Depalmare est aliquem palmis hoc est manibus exporrectis cedere.

Depilis & hoc depile id est sine pilis.

Deuergere est idem quod declinare seu dependere.

Deuouere est destinare, imprecari, quod modo ad prosperum, modo ad aduersum refertur. Virgilius. Deuotum hostiles Decium presse re ceteruæ. Idem. Præcipue in scælix pesti deuota futuræ.

Dii patellarii dicuntur dii fabulosi, qui præ sunt patellis & lebetibus, & ceteris uasis coquinariis, sicut dii gallinarii, anserarii & anetarii qui fabulose præ sunt gallinis anseribus & anatibus. Et hos deos ficticios non fiste sed uere colunt illi homines quorum deus uenter est.

Dii peculiare dicuntur proprii dii aliquorum hoim, sicut uenter

& eius uxor sancta saturitas sunt dii peculiates omnium epicureorū.

Diespiter dicitur Iupiter & habet in genitiuo diespiteris & dicitur diespiter quasi diei pater.

Diomedes erat rex Thracum seuus uir ac truculētus, qui equos suos aduenarū carnibus in Tyrida opido pascebat, sed ab Hercule matatus equis suis in pabulum appositus est.

Dionysia.orum, dicuntur festa Dionysii id est Bacchi. Vnde dionysia celebrare est bacchanalia celebrare.

Discubitorium est idem quod triclinium siue cœnaculum.

Drachma genus mensuræ numismatis & ponderis.

Eumenis eumenides græce dicitur, latine furia infernalis. Efferat<sup>9</sup> in rabiem est correptus rabie, sed efferatus in aliquem est grassatus in aliquem. Ephemeris. idis, est liber in quo sunt scriptæ diurnales diuinationes seu prognosticationes astrologorum.

Ephippium est stragulum quo equus insternitur.

Exibilare est aliquem tumultuaria sibillatione expellere.

Explodere est aliquem plausu manuum & oris clamore effugare.

Exoticus, a, um, id est aduentitius & peregrinus, unde ungenta exotica sunt unguenta ex peregrinis terris petita.

Facetia est iocosa quædam dicacitas seu irrisio.

Factum iri id est faciendum.

Fascia linteolum est ad ligandum aptum, cuius diminutiuum est fasciola. Furcifer hi enim furciferi dicebantur qui ob leue delictum cogebantur à dominis ignominia magis quàm supplicii causa furcā in collo ferre, subligatis ad eam manibus & prædicare peccatum suū simulq; monere ceteros ne quid simile admitterent.

Fustuarium idem est quod fustis, cuius diminutiuum est fusticulus

Flagrum idem est quod scutica, flagellum ex corio.

Flaccidus, a, um, est pendulus & non arrectus.

Fratres germani sunt fratres habentes eundē patrē & eandē matrē

Frius frigus facit in ptō frixi & frigui, in supino frixum & frictum,

Et frigere est carnes uel oua in sartagine torrere. Hiero. in Hieremia. Confixa sunt ossa mea tanq̄ in frixorio hoc est patella. Et accipitur frixorium interdum pro carnibus frixis. Item oua dicuntur frixa uel fricta, quæ in sartagine cum butyro sunt tosta.

Friuolus, a, ū, idē est quod cōcussum siue semifractū, proprie em̄ friuola uerba appellant quæ minus sunt fide subnixa. E ii

**Genethliacus** est astrologus qui conatur alicui prædicere futuros euentus ex hora natiuitatis eius.

**Gibber, eris,** tumor est in dorso, qui alio nomine dicitur gibbus. Etiam gibber is dicitur qui gibbum in dorso habet.

**Gymnosophistæ** appellati sunt Indorum sapiētes, eo quod nudi incederent. Nam gymnon græci nudum dicunt.

**Gingiuæ** sunt partes oris in quibus dentes sunt, & dicuntur gingiuæ quod in his dentes gignuntur. **Gutturnium** genus uasis aquarii est, sic dictum, quod ex eo aqua in manus guttatim cadat. Gutta enim stilla aquæ est.

**Glaber, a, um,** & per diminutionem glabellus. i. leuis & sine pilis.

**Glis gliris** non significat murem, sed aliud quoddam minutum animal muri simile, quod quia dormiendo gliscit. i. crescit & pinguescit glis dicitur. **Cluma** folliculus grani est.

**Graphice** describere est describendo pingere, quia γράφειν græce dicitur latine pingere. **Grauedo** est grauior pituita & crassior. Inde grauedinosi dicuntur qui laborant grauedine.

**Habitus** corporis est dispositio corporis, & accipitur nonnunquam pro pinguedine corporis. Inde habitior comparatiuus ab habitus, a, um. i. pinguior, **Harpyia** auis est rapax. Vir. lib. ænei. iii. **Harpyiæ** & magnis quatiunt clamoribus alas. Sed harpe huius harpes ensis erat falcatus, quo usus est Perseus.

**Hara** stabulum porcorum est. Etiam hara quoddam genus auis est a qua haruspex teste Seruio & hariolus dicitur.

**Haruspex** dicitur ille qui ex uolatu auium futura conatur prædicere. Idem etiam dicitur ariolus.

**Hemispharium** dicitur dimidia sphaera græce, latine globus. Et diuiditur sphaera in duo hemispharia, in superum scilicet & in inferum.

**Heus** est aduerbiū uocantis. Nonnunquam tamen heus quoque interiectio dolentis est. Vir. Heus etiam mensas consumimus inquit Iulus.

**Helleborus** & helleborum dici in recto potest, herba est purgatoria dicente Horatio in epi. Expulit Helleboro morbum bilemque meraco Et medetur helleborus secundum Plinium morbis comicialibus, uertigini capitis, melancholicis insaniētibus lymphaticis & elephatiæ albæ.

**Heluo** est homo gulosus. Unde hic obiter connumerandi sunt pene omnes illi qui militat sub ductu & auspicio Epicureorum. Et sunt heluones mandones, manducones, mafucii, comedones, edones, edaces, epulo

nes, lurcones, gurguliones, ganeones, glutones, scurræ, parafiti, gulo  
nes, phagones, ambrones, liguriones, labeones, nepotes, pamphagi,  
catillones, meribibi, optimibibi, multibibi.

Hiulcus, a, um, ab hiare deducitur, & est idē quo hians siue patens  
Hornus, a, um, i. huius anni, ut uinū Hornū est uinum huius anni  
Ientaculatio est comestio seu refectio, quæ mane ante legitimū  
prandium sumitur. Et est nomē uerbale huius uerbi deponentis ien  
tacular. aris. Identidem quod frequenter, eodem modo.

Illaridare capum dicimur dum cum acu coquinaria (cui graci  
lenta frustra lardi sunt inserta) traicimus.

Imprecari est alicui aduersam fortunam optare.

Incretus, a, um, id est non per cribrum excussus.

Ingeminare est iterare siue multiplicare.

Ingurgitare est idē quod deuorare, & fere de potu ac de cibo di  
citur, Plau. Et plenā uini amphoram ingurgitat, Modo pro imple  
re, Cicero in Antonio. Quum se cibus ingurgitauisset. Et uenit a gur  
ges gurgitis. Est aut gurgis locus in flumine profundus in quo aqua  
uertitur, q̄ gulæ instar ad se trahat. Intercapedo est spacium uel  
interuallum quod inter aliqua interpositum est.

Intertrigo deducitur ab intertero, is, ere, quando simul membra  
terteruntur, & confricantur accedente sudore. Et solet hæc intertri  
go plarunq; euenire hominibus pinguibus inter ambulandū præ  
cipue æstiuis diebus.

Labrum aneum uas est arcū rotundū & semicōcauum in quod  
aqua ex gutturnio superne dimittitur. Et uocatur alio noīe trulla.

Lacinia lacinia sunt proprie scissuræ extremarum uestium deco  
ris gratia factæ. Inde laciniatæ uestes dicunt, & accipitur interdum  
pro scissili linteolo. Lanius est idem quod macellarius, i. qui car  
nes uendit & pecora laniat, i. scindit. Inde lanionius, a, um, Vnde la  
nionia mensæ dicuntur in quibus scinditur caro.

Laternarius dicitur ille qui laternas facit, & laterna a lateo, es, ere,  
deducitur, q̄ in ea candela latet.

Larua a lare hoc est malo genio dicitur. Et est noxia inferorum  
umbra. Inde laruale simulacrum idem est quod larua

Lebes est genus uasis anei. Oui. in heroi. Viginti fuluos operosa  
ex are lebetes. Lerna regiūcula quædam est in Arcadia a Lerna

rege cognominata, a qua fit Iernæus, a, um. Virgilius libro Æneidos.  
Lernæus turbam capitum circumstetit anguis.

Lethargus a lethes hoc est obliuione deriuatur, morbus est quæ  
latini torporem appellant. Prouenit autem ex pituita humidior  
frigidiorq; cerebrum madefaciente. Accidit in eo morbo obliuio  
oim rerum. Inde lethargicus dicitur is qui hoc morbo laborat.

Libripens est stipsis ponderandæ pensator.

Lycaon Calistonis pater Arcadiæ rex, qui cum solitus esset hospi  
tes necare, idq; in Iouem hospitem moliretur, in lupum ab eo con  
uersus est. Et Lycaon a λυκός quod est lupus deducitur.

Limus, a, um, transuersum significat & obtortum seu obliquum.  
Lymphatici uocantur laruati atq; infanientes.

Lituus teste Gellio est uirga auguralis breuis in parte qua robu  
stior est incurua. Lusciniola est auicula quædam quam alio no  
mine philomelam appellamus.

Luter est urceolus manualis seu gutturnium.

Machæra græce dicitur latine gladius.

Mador madoris idem est quod humor.

Mala notam habet significatione, & eius diminutiuū est maxilla

Malluium uas est quo lauantur manus, sed malluuiæ teste Pom  
peio dicuntur aquæ quibus lotæ sunt manus, Sic pelluium uas est  
quo lauantur pedes. Et pelluuiæ aquæ quibus loti sunt pedes.

Mantica media correpta est perula uiatoria, & dicitur mantica,  
eo quod manu geratur, & eius diminutiuum est manticula.

Marsupium pera est seu loculus pecuniarius.

Mastigias græce dicitur latine uerbero. Plautus. Exi è culina, sis  
foras mastigia, & uenit a mastix mastigos quod idem est quod fla  
gellū. Inde mastigo id est flagello. Matella est diminutiuum a

matula, & est uas urinarium quod alio nomine dicitur scaphium,

Medioxumus. i. medius, a quo medioxume aduerbium.

Memoriæ proditum est, id est scriptum est.

Misargyus propriū nomen uiri, & interpretatur osor argenti.

Mythos græce, latine fabula dicitur, a quo mythicus, a, um. i. fa  
bulosus. Et mythologia. i. sermo fabulosus, Et epistola mythologica  
id est epistola fabulosa. Mortem oppetere est mori.

Nasturtium herba est, & nomē accipit a narium tormento. & uo  
catur cardamon. Nidor dicitur proprie odor rerum asfarum.

Nostin. i. nosti ne. Nummi presentarii sunt nummi presentes  
Sed nummi mutuatitii sunt nummi mutuo accepti. Nux iuglās est  
grandiuscula nux, & dicitur iuglans quasi Iouis glans.

Oedipodes thebarum rex fuit Laji filius & Io castæ, hic sphingos  
ænigmata dissoluit & monstrum interemit.

Obeſus, a, um. i. crassus, pinguis. Obolus genus mensuræ, pon-  
deris & nummismatis. Obliteratus, a, um. i. obfuscatus.

Obsolescere est euanescere, & accipitur interdum pro palleſcere

Obsoletus, a, um, pallidus, squallidus & incomptus,

Obſtipus, a, um. i. rigidus, inflexibilis, obtortus.

Onocephalus equus est ille qui habet caput pene simile capiti aſi

Opiparus, a, um. i. delicatus, abundans, copioſus. (nino.)

Opido aduerbium est, & est idem quod ualde.

Obſonium est quicquid comedendo additur pani uel uino.

Orbis dicitur proprie corpus sphericū habens superficiē concauā  
& conuexā. Et accipitur interdū pro mensa rotūda & orbiculari. Etiā  
significat illud mensariū instrumentū & rotundum supra quod da-  
pes ſcindunt, & è crustis paniceis similiter aliquādo fieri solet, Vir.

Ut uiolare manu, malisq; audacibus orbē, fatalis crusti. Hoc ipsum  
instrumentū & quadratū fieri solet, & tunc quadra appellat, fitq; ali-

quando etiā ex pane. Vir. Patulis nec parcere quadris. Iuuenalis. Ut  
bona ſūma putes aliena uiuere quadra, fit deniq; hoc idē instrumē-

tū aliquando ex ſtanno, & nōnunq; ex tenui ligno. Et inde orbis for-

mat per diminutionē orbiculus. Sunt em̄ duplices orbiculi. Orbicu-

li ſci. mensarii & aleatorii. Orcus cognomen est fluuii infernalis,

ab orcos quod est iuramētū deductū, eo q; per illū hoc est per ſtygē  
paludē, a qua teste Homero profluit iurabāt dii fabuloſi, nec peiera

re licebat. Et accipitur aliqñ p inferno, & nonnunq; etiā pro Plutone.

Oſiris huius oſiris uel oſiridis fuit Iouis filius ex Niobe filia Pho-  
ronei. Et traditur inueniſſe prim⁹ coſturam zithi. i. cereuiſiæ. Et po-

teſt accipi pro cereuiſia, ſicus Bacchus accipitur pro uino.

Palæſtritiæ dicuntur qui ſeſe pale. i. luſtatione exercent.

Patina genus uasi quo dapes elixæ & iurulentæ in mensam ferū-  
tur, Teren. Iandudum animus est in patinis, huius diminutiū est pa-  
tella ſcutellæ ſimilis, etiā accipitur pro ſcutella & corri. mediam

Palliaſtrum est rude pallium & uile.

**Pamphagus** cui esca est quicquid mádi potest, & interpretat oia uorans. **Papus** est flos cardui. **Lucre.** Vestem nec plumas auium paposq; uolantes. **Pegasus** equus fuit alatus, natus ex sanguine **Medusæ** qui ad montem **Parnasum** aduolans cū terram ungula pedis effoderet, ΠΗΓΗ hoc est fontem produxit, a quo ipse **pegasus** cognominatus est. **Peniculus** & **penicillus** quo calciaméta detergantur. Et quibus **albarium** tectorio inferunt cœmentarii, qui dicuntur **peniculi** tectorii & fiunt ex setis suillis. Dicuntur etiam **peniculi** tectorii manipuli stramenticii, quibus tectorum rimæ obstruuntur.

**Perna** est coxa cum crure porcino salita. Et tam priores q̄ posteriores coxæ porcinae dicuntur **pernae**. Et **perna** alio nomine dicitur **petaso** **petasonis**. **Martia.** Nam mihi cum uetulo sit **petasone** nihil.

**Pertica** est idem quod **fudes**. **Peristroma** est uelamen parietis uariis picturis intextum. **Pessulus** dicitur quasi paruus pes, & est instrumentum quo hostium domus clauditur. **Pitacium** est portio quadam corii cocti quo muniuntur soleæ calceorum.

**Pictilis** & hoc **pictile** idē est quod **pictus**. **Pyxis** **pyxidos** dicitur a nonnullis **buxolū**, nā ex **buxo** **buxolū** & **pyxides** fiunt, **Oui**, **Pyxidas** inuenies & rerū mille colores. **Pocillator** idem est quod **pincerna**.

**Postliminiū** quod quis adeptus est dicitur quū extra **limina** hoc est terminos prouinciæ suæ in captiuitate detentus, rursus ad ppria **limina** reuertitur, **Paulus** iurifconsultus. **Postliminiū** scribit esse ius amissæ rei recipiendæ ab extraneo, & in pristinū statū restituendæ.

**Pulmentarium** dicitur quod inter cibos sumitur in similitudinē **pultis** factū, hoc est quod **pulmenti** uicē implet. Idem est **pulmentū**. Et ponitur nonnunq̄ pro **carnibus** uel **piscibus** elixis ac iurulentis.

**Purulētus**, a, um, ab hoc noīe **pus** **puris** (declinat em̄ hoc nomen **pus** apud **Cor**, **Celsum**) & est idē quod **plenus** pure. i. sanie. **Puluinus** est quasi **lectulus** quidā exiguus, **lana** uel **tomēto** uel **pluma** uel alio gñe huiuscemodi **plenus**, quo utimur in **sedēdo**, & eius diminutiū est **puluillus**. **Putidus** a, um, a **putere**, & est idem quod **fœtidus**.

**Phalaris** fuit tyrannus crudelissimus qui homines in **æreum** **taurum** coniectos suppositis ignibus horridissime torfit.

**Phanum** idem est quod **templum**.

**Python** **pythonis** serpens immēsa magnitudinis, quem **Apollo** sagittis suis confecisse fabulatur.

**Phucus** color quidam est purpureus. Inde phucatus, a, um.

**Præcox** præcocius quod præter morem citius maturefcit, quod & præcoquum appellatur. **Promus** dicitur ille qui promit uinū uel cereuifiam ex uafe uinario uel cereuifario. Et per compositionē dicitur **suppromus** quasi sub principali **promo**, sicut **subcoquus** dicitur ille qui est sub principali coquo.

**Prominere** est ultra eminere. Inde dentes dicuntur **prominentes** qui ultra labia eminent.

**Quadrigæ meritoria** dicuntur quæ quæstus gratia locantur aut conducuntur. Vnde equus meritorius est equus conducticius.

**Reciprocus**, a, um, id est repetitus, siue in se ipsum reflexus. Et reciprocare repetere uel in se ipsum reflectere.

**Rictus** a ringere quod est rostrum torquere, quod canes faciūt, quī latraturi sunt, hinc rictus pro patente rostro, siue ore ponitur.

**Rheumatismus** est fluxio rheumatis id est pituitæ,

**Saccarū** nihil aliud est q̄ mel ex harūdīnibus collectū, candidū ac fragile, & in cibis omnis generis expetitur, ita ut locū prouerbio dederit nullū cibi genus saccario nō condiri, & uulgo **zaccarū** uocatur.

**Salinum** uasculum in quo sal tenetur ad mensæ usum.

**Salebre** sunt lapides super quos in uiis trāsitur. Inde **salebrofus**, a, ū, id est lapidosus.

**Sarrago** idem est quod fritorium siue patella.

**Satin**. i. fatis ne. **Sella**. i. sedes. **Sesquipede longior**. i. pede ac semī pede longior. **Siet** pro sit. **Socordia**. i. lignauiā, quasi sine corde.

**Solea** idem est quod crepida, sed solea ferrea est illud ferramentū quod suffigitur pedibus equorum. **Subselliū** idē quod sella seu sedes.

**Subsecundarius**, a, um, id est extra ordinarius.

**Subficius**, a, um, id est oneratus seu grauatus aliquo onere.

**Succisuum** tempus quod subtrahitur à rebus necessariis, ut ad aliquem usum accommodemus, uulgo tempus furto subtractum.

**Supina procrastinatio** est pigra dilatio, hoc est dilatio proueniens ex pigritia hominis. **Supinatus**, a, um, id est sursum elatus.

**Suppetias ferre** est auxilium ferre. **Sura** est posterior pars cruris infra genua. **Scaber**, a, um, i. sordidus seu immundus.

**Scalprus** & **scalprum** declinari potest. Et diminutiue **scalpellus** & **scalpellum**, & est instrumentum ferreum, alias **celtis** appellatum, & ponitur hīc pro paruo cultro.

Scipio dicitur proprie baculus. Et est etiam cognomen cuiusdam Cornelii imperatoris Romanorum, Scissilis & hoc scissile. i. lacer. a. u.

Scopa est qua pavementum domus uerrimus.

Scutella genus uasculi rotundi semiconcaui, Lucilius. Et scutulam ligneam in cerebrum fecit. Stacte stactes graece dicitur latine gutta, & est quoddam genus odoramenti seu aromatis.

Stater stateris penul. pro du. genus est numismatis, & fiebat quondam tam ex auro quam ex argento. Nunc autem fit solum ex argento ut patet in statere anglicano, & item in statere Colonienfi.

Scrupus idem est quod calculus seu acutus lapillus. Inde scruposus a. um. Specimen stulticiae est exemplum & signum stulticiae.

Sphinx monstruosum animal est. Aufonius Sphinx uolucris pennis pedibus fera fronte puella.

Tabellarius est literarum perlator, quem graeci grammatophorō uocant. Tapetum est uelamen picturis intextum, & dicitur alio nomine stratorium. Tessera cuius diminutiuum est tessella, id est quod omni ex parte quadratum est, & accipitur interdum pro talo ludatorio. Inde tessellatim id est quadratim.

Tetrastichon carmen, est carmen quatuor uersuum

Timen id est times nec Tinna genus est uasis.

Tintinabulum est illud instrumentum aeneum & sonorum quod uulgo nola dicitur, Titio titionis est fustis in summitate adustus.

Tonsatus, a. um, est usque ad cutem tonsus.

Tonstrina est officina tonsoris.

Torpor morbus ille quem graeci lethargum appellant, & ponitur interdum pro desidia.

Torris est idem quod teda in summitate adusta.

Tormentum stupae nihil aliud est quam stupa torta.

Tuber tuberis est tumor quidam in carne proueniens ex collectione malorum humorum.

Tunica interula supra quam alia uestis habetur.

Vas condimentarium est in quo aliquid condiri solet, unde oliuae conditaneae dicuntur quae sunt condite in uase aliquo.

Vegetus, a. um, id est incolumis seu robustus.

Velites expediti erant ad pugnam milites. Inde uelitari a uelitum congressione formatum uerbum est, & ponitur pro pugnare.

**Verruca** dicitur supereminens ueluti globulus durior in corpore hominis. Inde uerrucosus, a, um, id est uerrucis plen<sup>9</sup>. Inde uerrucaria herba quæ uerrucas tollit, & alio nomine dicitur heliotropium.

**Verficolor** dicitur quasi uarii coloris.

**Vertigo** uertiginis idem est quod circunrotatio, ut uertigo cœli. Etiam est morbus capitis quum uerti ea uidentur quæ cernimus.

**Vestis stragula** idem est quod stragulum. Est autem stragulum operimentum lecti diuersis picturis intextum.

**Vestibulum** est locus ante ianuam domus uacuus, per quem à uia ad ædes itur. **Vetulum** uinum est uetus uinum.

**Viaticum** dicitur quicquid iter agendi causa est necessarium.

Vnde & illud prouerbum, Suan<sup>9</sup> cuiq; artem pro uiatico esse.

**Vimen** quasi uincimen, & est omne uirgultum molle & ad ligandum aptum. Inde uimineus, a, um.

**Vltro** citroq; id est huc atq; illuc.

**Vmbo** media pars clypei est.

**Urna** dicta q; urinatur in aqua haurienda.

**Urinari** enim est mergi in aquam, & alio nomine dicitur fitula.

**Urna** etiam est genus mensuræ.

**Uua passa** dicitur illa quæ in siccando passa est solem.

**Uuidus**, a, um, hic idem est quod madidus.

**Xenodochium** græce dicitur, latine hospitem receptaculum hoc est hospitale.

Tubingæ apud Thomam Anshelmum.  
mense Decembri. M. D. XV.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

on  
Alfre  
dior

